Hermannus Luebke.

Observationes criticae in historiam veteris graecorum comoediae.

OBSERVATIONES CRITICAE

IN

HISTORIAM VETERIS GRAECORUM COMOEDIAE

I. DE COMOEDIAE LICENTIA LEGIBUS COERCITA

II. DE ARISTOPHANIS CUM AEQUALIBUS POETIS COMICIS AMICITIA ET SIMULTATE.

SCRIPSIT

HERMANNUS LUEBKE
PHIL. DR.

BEROLINI 1883
APUD MAYERUM ET MUELLERUM.

OBSERVATIONES CRITICAE

IN

HISTORIAM VETERIS GRAECORUM COMOEDIAE

I. DE COMOEDIAE LICENTIA LEGIBUS COERCITA

II. DE ARISTOPHANIS CUM AEQUALIBUS POETIS COMICIS AMICITIA ET SIMULTATE.

SCRIPSIT

HERMANNUS LUEBKE
PHIL. DR.

BEROLINI 1883
APUD MAYERUM ET MUELLERUM.

ADOLFO KIRCHHOFFIO

SACRUM.

De Aristophanis vita et poesi cum viri docti haud sine fructu disputaverint, tamen pro immensa fere materia restant quaedam, quibus accurate tractatis non solum comoediae historia melius illustretur, sed etiam ad Aristophanis fabulas recte interpretandas adiumentum haud spernendum afferatur. Ac primo quidem loco de veteris comoediae licentia legibus coercita, quaestione adhuc nequaquam profligata, tractabimus, deinde quae inter Aristophanem et aequales poetas comicos simultates intercesserint enarrabimus.

I.

Comoediae licentiam ante Ol. LXXXV nulla lege coercitam fuisse inter omnes constat. Immo imperium populare ferebat, ut comicis liceret perstringere et irridere quemcunque vellent aut quidquid in republica derisione dignum videretur, tuebaturque poetas diei festi sanctitas, non certa lex, qualem Cicero[1]) memorat

[1]) Praetermitto hic difficillimam quaestionem, utrum Augustinus, cui hic locus debetur, hanc pravam Ciceronis sententiam ad verbum excerpserit, an id quod mihi probabilius videtur paullulum commutaverit. Ceterum neque Ciceronis neque Augustini neque ullius hominis Romani de vetere comoedia iudicium magnam habet auctoritatem. mirum quantum enim Romani Menandri et Philemonis dulcedine capti horridam illam poesin difficillimamque intellectu spernebant et neglegebant. Lucilium quidem omnem pendere ab Eupoli atque Cratino Aristophaneque poeta Horatius Lucilii fragmenta legenti mihi non persuasit, quamquam ipsum Horatium veteris comoediae studiosum fuisse et re vera consuevisse ‚stipare Platona Menandro, Eupolin, Archilochum, comites educere tantos' non est quod negemus. Ne grammaticos quidem Romanorum hanc poesin cognitam habuisse Gelliumque et Macrobium non nisi ex grammaticis Graecis exempla sua deprompsisse persuasum habeo.

in libro de Republica IV, 10 ‚et Graeci quidem antiquiores vitiosae suae opinionis quandam convenientiam servaverunt, apud quos fuit etiam lege concessum, ut quod vellet comoedia de quo vellet nominatim diceret‘.

At Ol. LXXXV, 1 comoediae vim illatam esse testis est scholiasta ad Acharnens. vs. 68:

> *ἐπέμψαθ' ἡμᾶς ὡς βασιλέα τὸν μέγαν*
> *μισθὸν φέροντας δύο δραχμὰς τῆς ἡμέρας*
> *ἐπ' Εὐθυμένους ἄρχοντος.*

schol.: *Οὗτος ὁ ἄρχων, ἐφ' οὗ* (Ol. LXXXV, 4) *κατελύθη τὸ ψήφισμα τὸ περὶ τοῦ μὴ κωμῳδεῖν γραφὲν ἐπὶ Μορυχίδου. ἴσχυσε δὲ ἐκεῖνον τὸν ἐνιαυτὸν καὶ δύο τοὺς ἑξῆς ἐπὶ Γλαυκίνου τε καὶ Θεοδώρου, μεθ' οὓς ἐπ' Εὐθυμένους κατελύθη.*

Hoc in testimonio, cuius de fide dubitandum non est, cum ex ipso Aristophanis loco futiliter commentum esse non possit, omnia sunt dilucida praeter illud *μὴ κωμῳδεῖν* quid valeat. Omnino tunc non licuisse fabulas docere per se non verisimile est et refellitur titulo didascalico CIG. 229. 230:

> ΜΩΙΔΙΑΙ
> ΕΠΙ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΣΑΤΥΡΟΙΣ
> et ΕΠΙ ΜΟΡΥΧΙΔΟΥ
> ΟΣ ΚΟΛΕΟΦΟΡΟΙΣ.

κωμῳδεῖν igitur nihil significat nisi in comoedia tractare nullo discrimine facto, num sine ignominia hoc fiat an contumeliose. sitne autem in bonam an in malam partem usurpatum ex unius cuiusque loci tenore facile perspicitur. Ita in Acharn. v. 63:

> *ὡς κωμῳδεῖ τὴν πόλιν ἡμῶν καὶ τὸν δῆμον καθυβρίζει,*

et in Ps. Xen. de Rep. Ath. II, 18 de vera vocis vi dubitari nequit eademque malitiose perstringendi notio statuenda est, ubicunque de licentia *τοῦ κωμῳδεῖν* reprimenda agitur.

Iam coniicere licet, quid illa lege Morychide archonte lata ne fieret vetitum sit. Et Bergkius quidem (Commentationes de reliquiis comoediae Atticae p. 142) interdictum fuisse existimavit, ne viri potentes et rei publicae gubernatores in scena repraesentarentur aut nominatim integra comoedia fama eorum laederetur. Similiter Meinekius (Hist. crit. com. p. 40 not. 20) ‚ne poetae comici, si quem laedere vellent, eum nominarent et ignomini-

osas partes agentem in scaenam producerent.' Sunt sane coniecturae, quae neque probari neque refutari possunt. Probabiliorem legis interpretationem hac fortasse via efficiemus.

Apud Platonium *περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν* (Duebner, p. XIII) legitur: *τοιοῦτος οὖν ἐστὶν ὁ τῆς μέσης κωμῳδίας τόπος, οἷός ἐστιν ὁ Αἰολοσίκων Ἀριστοφάνους καὶ οἱ Ὀδυσσεῖς Κρατίνου καὶ πλεῖστα τῶν παλαιῶν δραμάτων οὔτε χορικὰ οὔτε παραβάσεις ἔχοντα* cf. ibid. *οἱ γοῦν Ὀδυσσεῖς Κρατίνου οὐδενὸς ἐπιτίμησιν ἔχουσι διασυρμὸν δὲ τῆς Ὀδυσσείας.*

Cratinus poeta acerbissimus cur ad hanc innoxiam fabulam descenderit, non intellegitur, nisi cum Meinekio (Hist. crit. p. 43) Ulixes eo tempore compositam esse conieceris, quo comoediae licentia aliquatenus circumscripta fuerit i. e. inter Ol. LXXXV, 1—4. Hac Meinekii coniectura nisus Müller Struebingius in Leutsch. Philol. vol. suppl. IV p. 43 coniecit comoediae acerbitatem sublato chori et parabaseos iure minutam esse. at hoc neque in Platonii testimonio inest, quem ,canticis choricis non choro comoediam caruisse' Kockius (Comicorum Atticorum fragmenta p. 55) recte interpretatur, neque titulo supra memorato probatur; Satyri enim fabula illo tempore acta quomodo choro carere potuerint equidem non intellego.

Sed videamus rem Cratini fabulae substratam. Res ex mytho sumptas tum maxime comoediis tractari constat, cum facultas rempublicam libere perstringendi sublata est. Ita aetate bellum Peloponnesiacum subsequente poetae a republica, quae oppressa iacebat, cavillanda ad mythum redierunt — omnes fere Platonis fabulae huius sunt generis — et fecerunt comoedias Cratini Ulixibus simillimas. Simillima fuit condicio poeseos comicae, qualis in Sicilia quondam vigebat, quae tyrannis artis fautoribus iisdemque censoribus fere in mytho versabatur, choro autem et parabasi carebat. Neque hoc mirum, cum poetis licentia deesset, suam de republica sententiam libere proferendi.

Nonne ex his simillimis notis de comoedia Atheniensium concludere licet? Syracusis igitur tyrannorum aetate et Athenis Ol. LXXXV rempublicam et rationem rei publicae administrandae i. e. ipsos rei publicae gubernatores acriter perstringere poetis comicis non licebat; sed cum Syracusis arbitrium principis pro lege esset, Atheniensium in libera republica populi scito opus erat neque hanc legem Athenienses sibi impositituros fuisse probabile est, nisi reipublicae gravi quodam periculo commoti essent.

De bello Samio et sociorum tumultu Mueller Struebingius l. l. p. 43 recte monuit: ‚Das Psephisma hatte ohne Zweifel den Zweck, den Dichtern zu verbieten, die Aufregung unter den übrigen Bundesgenossen, die damals bedeutend gewesen sein mufs, durch rücksichtslose Verhöhnung der Staatsgewalt und namentlich durch überraschende Darstellung des Verhältnisses des regierenden Staates zu den Bundesgenossen zu erhöhen.‘

Restat ut pauca addam de legis auctore, quem Periclem fuisse nonnulli praefracte negant; longe enim afuisse a summo viro et artis cultore, ut ipse artem opprimeret. Equidem non dubito, quin Pericles ipse in republica administranda a poetis saepius atrocissime vituperatus[1]) aut ipse aut — id quod Cobetus Observ. crit. in Plat. Com. Reliq. p. 10 maluit — per amicum quendam effrenatam comoediae licentiam represserit; hoc certe tenendum est Pericle nolente talem legem tum vix perferri potuisse, non invito aut ipso suadente facile factum esse. Sociis pacatis et reipublicae tranquillitate restituta Pericles aurae populari tantum dedit, ut delicias populi in integrum restitueret.

Post hasce angustias felicissima veteris comoediae aetas secuta est. Cratini exstiterunt aemuli haud spernendi resonabatque scena iocis ut lepidissimis ita acerbissimis; Neque tamen hanc licentiam saeculi quinti octavo decennio non temptatam esse varia exstant testimonia, quae nunc in crisin vocemus.

Primo loco spectant huc Acharn. vs. 1150 sq.:

Ἀντίμαχον τὸν Ψακάδος τὸν ξυγγραφῆ τῶν μελέων ποιητήν,
ὡς μὲν ἁπλῷ λόγῳ, κακῶς ἐξολέσειεν ὁ Ζεύς·
ὅς γ' ἐμὲ τὸν τλήμονα Λήναια χορηγῶν ἀπέλυσ' ἄδειπνον
ὃν ἔτ' ἐπίδοιμι κτλ.

In codice R hoc adscriptum invenitur scholion *φασὶ γὰρ αὐτὸν γράψαι ψήφισμα, ὥστε τοὺς χοροὺς μηδὲν ἐκ τῶν χορηγῶν λαμβάνειν.*

In ceteris codd.: *ἐδόκει δὲ ὁ Ἀντίμαχος οὗτος ψήφισμα πεποιηκέναι, μὴ κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος καὶ ἐπὶ τούτῳ πολλοὶ*

---

[1]) Cf. fragm. ex Cratini Thressis, Kock. p. 35, Plutarch. Pericl. 13:

ὁ σχινοκέφαλος Ζεὺς ὅδε προσέρχεται
Περικλέης, τᾠδεῖον ἐπὶ τοῦ κρανίου
ἔχων, ἐπειδὴ τοὔστρακον παροίχεται

cf. Teleclidis frgm. ex Plut. Pericl. 16. Kock. p. 220.

τῶν ποιητῶν οὐ προσῆλθον ληψόμενοι τὸν χορὸν καὶ δῆλον ὅτι πολλοὶ τῶν χορευτῶν ἐπείνων. ἐχορήγει δὲ ὁ Ἀντίμαχος τότε, ὅτε εἰσήνεγκε τὸ ψήφισμα,

οἱ δὲ λέγουσιν ὅτι ποιητὴς ὢν καλὸς χορηγῶν ποτὲ μικρολόγως τοῖς χορευταῖς ἐχρήσατο.

Hoc impeditissimum scholion viri docti ita tractaverunt, ut neglectis ceteris illa ἐδόκει δὲ ὁ Ἀντίμαχος οὗτος ψήφισμα πεποιηκέναι μὴ δεῖν κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος ex bono fonte fluxisse affirmarent et in hoc firmissimo quod putabant fundamento conjecturas exstruerent. Unam post alteram proferam.

Quod primo adspectu ex scholio consequi videtur, Antimachum legem tulisse, ne quis nominatim in fabula perstringeretur, id nemo quidem adhuc proposuit neque facile quisquam vel una Aristophanis fabula lecta credidisset. Contrahendi igitur erant legis fines. Et Leo quidem (quaestiones Aristophaneae Bonn. 1873 p. 39) sibi persuasit Antimachum nescio quo tempore legem tulisse ‚ne nomen magistratus aperte et contumeliose in scena nominaretur‘.

Priusquam singula Viri docti argumenta examinemus, in universum videamus, num illa lex cum poeseos reliquiis consentiat et circumspiciamus, servatisne in fabulis ἀρχαί, sive ἄρχοντες hoc proprio sensu, sive στρατηγοί aliique, qui exercitui praeerant, sive βουλευταί ceterique qui ‚magistratus‘ notione comprehenduntur aperte et contumeliose nominentur, quod si fiat, necessario rejicienda erit Leonis propositio. Et Cleo quidem, ut a principe popularium incipiam, nominatur apertissime neque sane honorifice, quamquam ἀρχήν obtinebat, in Equit. 976:

> ἥδιστον φάος ἡμέρας —
> ἢν Κλέων ἀπόληται

in Nub. vs. 518:

> ἢν Κλέωνα τὸν λάρον δώρων ἑλόντες καὶ κλοπῆς
> εἶτα φιμώσητε τούτου 'ν τῷ ξύλῳ τὸν αὐχένα

cf. Vesp. vs. 596, 759.

Quid vero de Eupolidis fabula Χρυσοῦν γένος dicamus, qua Cleo sociique, quibus ‚aurea‘ ista aetas imprimis deberetur, acerbissime irrisi esse videntur? cf. frgm. 290—292 ap. Kock.

Item ne Lamachum quidem ab irrisione in Acharnensibus magistratus defendit.

Non felicius quam Leo Keckius legem interpretatus est in ‚Quaestionibus Aristophaneis historicis‘ Hal. 1876 p. 10, cum contendit: ‚ut nominarent magistratus semper erat poetis comicis permissum, dumne ipsos in scenam producerent‘.

Mirum sane in modum Athenienses *ἀρχῶν* sanctitatem tuiti essent, si constituissent, ne contumeliose et nominatim in scenam producerentur, ceterum ut atrocissimis iurgiis obruerentur permisissent. Neque mea quidem sententia multum interest, utrum quisquam nominatus ignominiosas partes in scena agat, an ita personatus, ut protinus omnes quis sit cognoscant. In ipsa Equitum fabula, quam firmissimo argumento sibi fore Vir doctus frustra speravit, *ἄρχων* anni Ol. LXXXVIII, 4 acerrime et nominatim perstringitur; an Keckium poetae satisfecisse credamus, si in vs. 976 pro *ἢν Κλέων ἀπόληται* proposuerit *ἢν οὗτος γ' ἀπόληται*? Quod Cleo, de quo tota est Equitum fabula, non saepius nominatur, non lege quadam factum esse arbitror. Cur nominaretur quem omnes unaquaque voce et maxime victoria illa Pyliaca ad nauseam repetita cognoverant? Immo prorsus omittendum erat Cleonis nomen in dialogo, nisi poeta totius fabulae rationem destruere voluit. Sed quid de uno versu disputemus, cum tota fabula satis superque probetur talem legem non valuisse, sed summam comoediae libertatem fuisse. Neque quod de Aristophanis Onerariis constat non valet ad Keckii legem infirmandam, qua in fabula, si quid video, Cleo et Lamachus nequaquam tum homines privati in scenam non sane honeste producti sunt. Cf. argum. Pac. ex Ven.: *οὐ τοῦτο δὲ μόνον ὑπὲρ εἰρήνης Ἀριστοφάνης τὸ δρᾶμα καθῆκεν, ἀλλὰ καὶ τοὺς Ἀχαρνεῖς καὶ τοὺς Ἱππεῖς καὶ Ὁλκάδας καὶ πανταχοῦ τοῦτο ἐσπούδακεν, τὸν δὲ Κλέωνα κωμῳδῶν τὸν ἀντιλέγοντα καὶ Λάμαχον τὸν φιλοπόλεμον ἀεὶ διαβάλλων.* Ne Acharnenses quidem ea lege vigente agi potuissent, si quidem Lamachus *ὁ στρατηγός* acerrime perstringitur. Nam Lamachum eo anno ducem non fuisse neque Muellero Struebingio credo, neque Keckium probasse arbitror, cum deleat vs. 569:

εἴτε τις ἔστι ταξίαρχος ἢ στρατηγὸς ἢ

plane neglecto versu 593:

ταυτὶ λέγεις σὺ τὸν στρατηγὸν πτωχὸς ὤν;

Quid igitur de lege Antimachea? Num Boeckhio (Staatshaushalt. p. 437) assentiemur legem Antimacheam eandem esse contendenti quam illam Morychide archonte anno Ol. LXXXV, 1 latam?

quod iure fieri nego. vetat enim idem noster scholiastes ad Acharn. 1149 addens *ἐχορήγει δὲ ὁ Ἀντίμαχος τότε, ὅτε εἰσήνεγκε τὸ ψήφισμα*, quo munere proxime ante Acharnenses actam Antimachum functum fuisse ex ipso Aristophanis loco satis elucet. neque enim res ante multos annos actas et oblivione obrutas comici irridere solebant, sed nuper factas omniumque mentibus inhaerentes. Itaque nisi una ex parte scholiastae testimonium prorsus neglegere, altera summi aestimare volumus, Boeckhio assentiendum non erit.

Sed inquiramus, quanta sit auctoritas unius illius scholiastae *ἐδόκει-ψήφισμα*. Estne credibile Antimachum, quo anno choregus fuerit, cum maxime eius interesse debuerit, ut comoediae splendorem augeret, tum *ψήφισμα* tulisse, *μὴ δεῖν κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος*? mihi quidem probabile non videtur. attamen et scholiasta et Aristophanes idem facinus respiciunt, quod Antimachus nuper choregus commiserit.

Necesse igitur est, ex scholio, si dignum est, cui fides habeatur, Aristophanis loco lux afferatur, id quod nullo modo fit. etenim si Antimachus proximo anno choregus comoediae licentiam circumscripserat, ideo ab Aristophane non his verbis perstringi poterat:

Ὅς γ' ἐμὲ τὸν τλήμονα Λήναια χορηγῶν ἀπέλυσ' ἄδειπνον,

quibus ne tangitur quidem illud Antimachi facinus, nisi forte insipida scholiastae coniectura probanda erit, esuriisse choreutas, cum propter legem Antimacheam multi poetae fabulas agere et chorum poscere non ausi essent. nulla sane causa fuisset huic choro iam proximis et his Lenaeis munere functo querendi. Sed iam diu, opinor, elucet, quid sentiam. Scholion inde ab *ἐδόκει* usque ad *εἰσήνεγκε τὸ ψήφισμα* nulla fide dignum est nihilque nisi ineptam grammatici coniecturam ex Aristophanis loco non perspecto fictam continet, quod iam voce *ἐδόκει* satis indicatur. Rectius insequentis scholii auctor Aristophanem intellexisse videtur: *οἱ δὲ λέγουσιν, ὅτι ποιητὴς ὢν καλὸς χορηγῶν ποτὲ μικρολόγως τοῖς χορευταῖς ἐχρήσατο.* Poeta chorum valde indignantem fingit, quod Antimachus nuper choregus erga choreutas minus splendidum se praestiterit. fortasse cenam quam choreutae re bene gesta exspectaverant aut omnino denegaverat aut parum lautam et opiparam paraverat. choreutas autem saepius splendide esse tractatos sive a poeta sive a chorego iam per se probabile est et his exemplis illustratur, Plat. sympos. p. 236 e.: *ὅτι τῇ πρώτῃ τραγῳδίᾳ ἐνίκησεν Ἀγάθων, τῇ ὑστεραίᾳ, ᾗ τὰ ἐπινί-*

κια ἔθυεν αὐτός τε καὶ οἱ χορευταί. cf. etiam Eupolin ap. Poll. 3, 115 *εἶδες χορηγὸν πώποτε ῥυπαρώτερον τοῦδε;*

Impeditissimum Schol. ad Acharn. l. l. ut tandem conficiam, Diogeniani aliquem locum proferam, quo scholii auctoritatem fortasse quispiam censeat confirmari. VIII, 71: *δοκεῖ δὲ ὁ Ἀντίμαχος ψήφισμα πεποιηκέναι, ὅτι τὸ ἱερὸν πῦρ οὐκ ἔξεστι φυσῆσαι καὶ ὅτι μὴ δεῖ κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος, ὡς μὴ καθαρεύοντι.* Et Diogeniani opus et scholia Aristophanea constat magna ex parte ex Didymi commentariis fluxisse, in quibus vir laboriosus certe multa praeclare scripsit neque tamen omnino abstinuit coniecturis incertis aut falsis. Suo iure igitur aliquis legem Antimachi de libertate commoediae reprimenda Didymi errore ortam esse contendat, quamquam ne Didymo quidem imputandum mihi videtur, quod etiam posterae aetatis grammaticus peccare potuit. Diogeniani enim locus aperte corruptus sic fortasse mendum contraxit, ut ad integra verba: *δοκεῖ δὲ ὁ Ἀντίμαχος ψήφισμα πεποιηκέναι ὅτι τὸ ἱερὸν πῦρ οὐκ ἔξεστι φυσῆσαι ὡς μὴ καθαρεύοντι* verba de eodem Antimacho *καὶ ὅτι μὴ δεῖ κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος* ex Aristophanis scholiis desumpta nescio a quo male insererentur.

Sed mittamus glossas, quae quam intima ratione cum scholiis coniunctae sint, viri docti iam pridem intellexerunt — quamquam laborem sane Herculeum lexicorum farraginem excutiendi et cum scholiis conferendi nemo adhuc subiit — et disseramus de singulis deinceps argumentis, quae viros doctos seduxerint.

Ad Nub. vs. 31: *τρεῖς μναῖ διφρίσκου καὶ τροχοῖν Ἀμυνίᾳ* adnotat scholiasta. *Ἀμυνίας τῶν περὶ ἵππους ἐπταικότων. μέμνηται δὲ αὐτοῦ καὶ ἐν τοῖς Σφηξί. νῦν δὲ οὐκ ἐκείνου καθάψασθαι βουλόμενος μνημονεύει αὐτοῦ, ἀλλὰ τὸν τότε ἄρχοντα διασύρειν προαιρούμενος τῇ ἐκείνου προσηγορίᾳ ἐχρήσατο· τότε γὰρ ἦρχεν Ἀμεινίας τοῦ Προνάπους υἱός· ἐπεὶ οὖν τοὺς Ἀθηναίους πρότερον κωμῳδεῖν τὸν ἄρχοντα ὁ νόμος ἐκώλυεν, ἀφαιρέσει μὲν τοῦ ι προστεθέντος δὲ τοῦ υ παρατρέψας ὀλίγον Ἀμυνίαν αὐτὸν εἶπεν ἀντὶ τοῦ Ἀμεινίαν.* conferas schol. ad Ran. 501: *οὐκ Μελίτης μαστιγίας. Ἀπολλώνιος δὲ οὐ κακῶς ὑπονενοῆσθαί φησι τὸ κωμῳδεῖσθαί τινα. ἴσως δὲ ὅτι ἦρχε, διὰ τοῦτο οὐκ ὠνομάσθη ἢ ὀλίγον πρότερον εἰρῆσθαι. Καλλίας γὰρ ὁ Ἱππονίκου ἐν Μελίτῃ ᾤκει. παρεικάζει δὲ αὐτὸν ἅμα τῷ Ἡρακλεῖ.* — Utroque loco dicitur per legem non licuisse archontem (*τὸν ἄρχοντα*) comoedia male perstringere. itaque Aristophanem in Nubibus Aminiam Pronapi archontem tecte et nomine paullu-

lum mutato appellasse, in Ranis Calliam non nominasse. Hanc legem in suum commodum convertens Leo p. 39 amplificavit 'cum lex vetaret archontem perstringere, eadem unumquemque vetabat qui a populo corona data magistratus publice constitutus esset i. e. *κληρωτοὺς καὶ χειροτονητοὺς ἄρχοντας*'.

Ponamus veram et sinceram esse scholiastae scientiam, ne offendamus eo quod lex iam olim constituta (*πρότερον*) et Nubium et Ranarum aetate valuerit, tamen in locis Aristophanis interpretandis scholiastam vehementer errasse affirmo. Versus illi in quibus Amynias traducitur 31, 686 sq., 1259 seq. cum iam in prioribus Nubibus fuerint, nequaquam ad anni 423 archontem, qui non Aminias sed Isarchus erat, pertinere possunt. Mittamus igitur *Ἀμεινίαν τὸν ἄρχοντα* et subintellegamus Amyniam illum qui moribus effeminatis inter omnes nebulones excellebat, (cf. schol. ad Nub. 687 et Vesp. 74) quem *ἱπποτροφία* et *φιλοκυβία* pauperrimum reddiderant, ut *ὡς ἀλαζὼν καὶ συκοφάντης καὶ κόλαξ* vitam degeret.

Quid vero de schol. interpretatione versus 501 dicamus, ubi sub verbis *οὐκ Μελίτης μαστιγίας* Callias archon, quem aperte perstringere non licuerit, subintelligitur, cum vs. 428 legamus

> *καὶ Καλλίαν γέ φασι*
> *τοῦτον τὸν Ἱπποβίνου*
> *κυσθῷ λεοντῆν ναυμαχεῖν ἐνημμένον.*

Ineptiae grammaticorum igitur illam legem *περὶ τοῦ ἄρχοντος* non valde confirmant, neque unquam meo iudicio archon, cuius sanctitati aliis praesidiis satis cautum erat, singulari lege a comoediae impetu defendebatur cf. Demosth. XXI, 33 *καὶ πάλιν γε τὸν ἄρχοντα ταὐτὸ τοῦτο, ἐὰν μὲν ἐστεφανωμένον πατάξῃς ἢ κακῶς εἴπῃς ἄτιμος, ἐὰν δὲ ἰδιώτην ἰδίᾳ ὑπόδικος.*

Venio nunc ad locum libelli incerti auctoris de republica Atheniensium, cap. II, § 18, ubi singularem legem viri docti respici putaverunt ,ne populum vel qui populi magistratum teneant perstringere liceret'. *Κωμῳδεῖν δ' αὖ καὶ κακῶς λέγειν τὸν μὲν δῆμον οὐκ ἐῶσιν, ἵνα μὴ αὐτοὶ ἀκούωσι κακῶς, ἰδίᾳ δὲ κελεύουσιν, εἴ τίς τινα βούλεται, εὖ εἰδότες ὅτι οὐχὶ τοῦ δήμου ἐστὶν οὐδὲ τοῦ πλήθους ὁ κωμῳδούμενος, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, ἀλλ' ἢ πλούσιός τις ἢ γενναῖος ἢ δυνάμενος. ὀλίγοι δέ τινες τῶν πενήτων καὶ τῶν δημοτικῶν κωμῳδοῦνται καὶ οὐδ' οὗτοι ἐὰν μὴ διὰ πολυπραγμοσύνην καὶ διὰ τὸ ζητεῖν*

πλέον τι ἔχειν τοῦ δήμου ὥστε οὐδὲ τοὺς τοιούτους ἄχθονται κωμῳδουμένους.

Rectam huius loci interpretationem Kirchhoffius docet in Actis Acad. Berol. 1878 p. 16 cum voci *ἐᾶν* vim ‚singulari lege prohibendi' necessario inesse negat. immo singulari lege opus non fuisse, cum ne comici in vituperanda republica nimis procederent, aliis institutis satis ratum fuisset.

„Es fällt auch gar nicht schwer, sich eine Vorstellung davon zu machen, wodurch auch ohne die Existenz eines ausdrücklichen gesetzlichen Verbotes Auschreitungen der Komoedie verhindert werden konnten und verhindert wurden; abgesehen von den unberechenbaren Gefahren und Unannehmlichkeiten, welche die Empörung der durch solche Angriffe verletzten Menge für den Urheber desselben in und aufserhalb des Theaters haben konnte und deren drohende Aussicht auch beim bösesten Willen zur Vorsicht mahnen musste, ist zunächst an die prophylaktische Einwirkung des dem Demos verantwortlichen die Festfeier leitenden Beamten zu erinnern, welcher den Chor zu geben hatte und doch sicher auch verweigern konnte, sodann aber an das drohende Gespenst eines politischen Prozesses, welchen nach vollbrachtem Attentat der Urheber in der Form eines Eisangelieverfahrens durch Denuntiation bei Rath und Volk zu erfahren hatte und welcher der aburteilenden Volksversammlung oder einer Heliastenkommission Gelegenheit gab, wo es nötig war, ein Exempel zu statuiren, dessen abschreckende Wirkung ausreichen musste, dergleichen Vorkommnissen für die Zukunft vorzubeugen."

Opponuntur *κωμῳδεῖν — ἐῶσιν* et *ἰδίᾳ κελεύουσιν* i. e. populum laedi quidem non patiuntur sc. reipublicae ratione irrisa, *singuli* autem ut perstringantur ipsi incitant. Sic enim intellego illud *ἰδίᾳ*, non ut ‚privatos' quibus aptius magistratus opponerentur, quam populus; sub voce *δῆμος* autem ut magistratus subintellegendi sint, id quod Keckius voluit, tantum abest, ut magistratus in scena summo cum populi gaudio traduci auctor libelli contendere videatur. Nam ut *πλούσιος* divitem, *γενναῖος* nobilem significat, ita *δυνάμενος* de potestate intellego, qua optimates ex maioribus magistratibus utebantur, item quae deinceps sequuntur *ὀλίγοι* etc. ad populares, veluti Cleonem refero, quos a comicis lacerari populus non indigne ferat, cum *διὰ τὸ ζητεῖν πλέον τι ἔχειν τοῦ δήμου* dignos sese risu praebuerint,

i. e. cum ipsi ex humili loco orti maiores magistratus qui nobilium essent affectaverint.

Erant, qui auctorem libelli legem quandam respicere coniecerint, qua post Babylonios actam cautum fuerit, ne Magnis Liberalibus, cum Socii adessent, reipublicae a comicis malediceretur, qualem legem constituerunt nisi et scholio ad Vesp. vs. 1285 et versibus Acharnensium ad nobilem Aristophanis cum Cleone simultatem spectantibus, neque legem non confirmari iudicaverunt, quod fabulae his diebus festis actae naturam multo remissiorem et mitiorem prae se ferunt, quam quae Lenaeis datae sunt. Haec argumenta videamus quid valeant. Ac primum quidem illud scholion ad Vesp. vers. 1285: *ἐψηφίσατο γὰρ ὁ Κλέων μηκέτι δεῖν κωμῳδίας ἐπὶ τῷ θεάτρῳ εἰσάγεσθαι ὅτι δὴ ξένων παρόντων πολίτας ἔσκωπτον* prorsus indignum est quod testimonii loco habeatur. absurdissime enim ex Aristophanis loco commentum esse apparet. an revera a Cleone vetitum esse credamus, ne comoediae in posterum agerentur, cum sociis praesentibus cives irriderentur? nihil aliud enim qualibuscunque interpretationis machinis ex scholio elicies.

Venio ad alterum argumentum sumptum ex Acharn. vers. 502 sq.:

οὐ γάρ με νῦν γε διαβαλεῖ Κλέων ὅτι
ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω.
αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών
κοὔπω ξένοι πάρεισιν· οὔτε γὰρ φόροι
ἥκουσιν οὔτ' ἐκ τῶν πόλεων οἱ ξύμμαχοι·
ἀλλ' ἐσμὲν αὐτοὶ νῦν γε περιεπτισμένοι
τοὺς γὰρ μετοίκους ἄχυρα τῆς πόλεως λέγω.

. . . .

515. *ἡμῶν γὰρ ἄνδρες, οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω,*
μέμνησθε τοῦθ' ὅτι οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω. — —

cf. vs. 631, vs. 377 sq.:

αὐτός τ' ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἅπαθον
ἐπίσταμαι διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν·
εἰσελκύσας γάρ μ' ἐς τὸ βουλευτήριον
διέβαλλε καὶ ψευδῆ κατεγλώττιζέ μου κτλ.

cum scholio 377: *διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν: Τοὺς Βαβυλωνίους λέγει. τούτους γὰρ πρὸ τῶν Ἀχαρνέων Ἀριστοφάνης*

ἐδίδαξεν, ἐν οἷς πολλοὺς κακῶς εἶπεν. ἐκωμῴδησε γὰρ τάς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχάς, καὶ Κλέωνα παρόντων τῶν ξένων — καὶ διὰ τοῦτο ὀργισθεὶς ὁ Κλέων ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας, ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ταῦτα πεποιηκότα. καὶ ξενίας δὲ αὐτὸν ἐγράψατο καὶ εἰς ἀγῶνα ἐνέβαλεν — —.

His versibus Aristophanes vel Callistratus, neque enim meum est hanc controversiam discernere, queritur proximi anni fabulam a Cleone sibi crimini datam esse, quod ne novae Acharnensium fabulae accidat, se non metuere libere profitetur, cum sociis Lenaeorum diebus festis non praesentibus rempublicam non laedat. Haec fere versuum sententia est, neque quidquam inest, unde Ol. LXXXVIII, 3 legem fuisse sequatur, qua Lenaeis rempublicam perstringere liceret, dummodo Magnis Dionysiis sociis praesentibus poetae calumniis abstinerent. Immo Aristophanes sua sponte instituisse videtur, ne Acharnensium fabula novam inimicis materiem daret suam artem ad senatum nequiter arguendi; neque ex scholio quamvis sit bonum tale quidquam eruitur; scholiastes enim testatur quidem Aristophanem in Babyloniis *τὰς κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχάς* perstrinxisse, singularem vero legem, qua Ol. LXXXVIII, 3 idem non licuerit, ne verbo quidem memorat. At aliud docere potuit scholiastes nimio plus adhuc spretus. neque enim propter Babyloniorum fabulam Aristophanes in ius vocari potuit sed maiestatis accusatus est ab homine populari irato, quod ipse illa fabula calumniis obrutus esset. Miserrimum enim Atheniensium ius quod dicunt publicum fuisset, si fabula quadam ab eo qui ludis praeerat accepta et ad certamen admissa, si quid atrocius in rempublicam dictum videretur, poetae aut ei qui ab archonte chorum nanctus erat propter ipsam fabulam litem intendere licuisset; Immo archon simulatque fabulam probavit, omne rei periculum subiit. Itaque Cleoni iniuriam sibi illatam ulturo aliud undecunque crimen quaerendum erat, quod ad confirmandum illa fabula uti poterat. Licebat igitur Cleoni per *εἰσαγγελίαν* poetam *ξυνωμοσίας* accusare, quoque facilius iudicibus persuaderet, Aristophanem societatis ad rempublicam evertendam participem esse, nonnullos Babyloniorum locos eosdemque acerrimos afferre. Ac revera Cleonem hac via ad ulciscendum poetam ingressum esse et scholiastes *καὶ διὰ τοῦτο — πεποιηκότα* et ipsius Aristophanis versus satis demonstrant.

Sed porro videamus, quid deinde scholiastes dicat: *καὶ ξενίας*

δὲ αὐτὸν ἐγράψατο καὶ εἰς ἀγῶνα ἐνέβαλεν. De ipsa peregrinitatis causa, quam praeter scholiastam etiam Anonymus de vita Aristophanis, (Dübner. p. XXVII) enarrat, dubitari nequit, praesertim cum Aristophanis aemuli, ut infra videbimus, saepius hanc rem in risum verterint. Sed cum verisimile non sit Cleonem clade accepta protinus alterum crimen ad inimicum ulciscendum excogitasse, rectius hanc alteram causam post Equitum impetum ponemus neque inepte huc referemus Vesparum vs. 1284 sq. quos, etiamsi per Philonidem fabulam egit, tamen sine dubio Aristophanes de se intellegi voluit.

Quoniam ad Aristophanis cum Cleone simultates delati sumus, loco cuidam adhuc caligine offuso lucem afferre conemur; Acharnensium dico vs. 5 sq.:

> *ἐγῷδ' ἐφ' ᾧ γε τὸ κέαρ ηὐφράνθην ἰδών*
> *τοῖς πέντε ταλάντοις οἷς Κλέων ἐξήμεσεν.*
> *ταῦθ' ὡς ἐγανώθην καὶ φιλῶ τοὺς ἱππέας*
> *διὰ τοῦτο τοὔργον· ἄξιον γὰρ Ἑλλάδι.*
> *ἀλλ' ὠδυνήθην ἕτερον αὖ τραγῳδικόν κτλ.*

Omnes hujus loci interpretationes quae sexcentae sunt, qui cognoscere vult, legat Gilberti librum „Beiträge zur inneren Geschichte Athens" s. a. 428/427. Ne ipse quidem Vir doctus, cum spreto scholiasta de quinque talentis cogitavit quae Cleo equites *λειποστρατίας* accusaturus deposuerit et perdiderit, sententiam recte percepisse mihi videtur. Neque enim scholion ad vs. 6 *παρὰ τῶν νησιωτῶν ἔλαβε πέντε τάλαντα ὁ Κλέων, ἵνα πείσῃ τοὺς Ἀθηναίους κουφίσαι αὐτοὺς τῆς εἰσφορᾶς. αἰσθόμενοι δὲ οἱ ἱππεῖς ἀντέλεγον καὶ ἀπῄτησαν αὐτόν. μέμνηται Θεόπομπος* ex ipso Aristophanis loco, ubi de sociis sermo non est, futiliter commentum esse potest. Omnes vero interpretes mea sententia in eo maxime erraverunt, quod scholion quidem amputaverunt et sanare studuerunt, ipsorum vero versuum 5/6 cum antecedentibus et sequentibus connexum prorsus neglexerunt. Quattuor Dicaeopolis res enumerat quae sibi gaudio aut molestiae fuerint. Enecatum se paene esse, ut ab extremo ordiar, cum Chaeris ad canendum *νόμον ὄρθιον* prorepserit, at gaudium se percepisse, cum Dexitheus carmen Boeotium cecinerit; molestissime sibi in tragoedia accidisse (*τραγῳδικὸν*), quod pro exspectata Aeschyli divina fabula Theognis frigidam suam artem praebuerit. Non nisi res tristes aut laetae ex scena sumptae enarrantur, quibus si sen-

tentiam in vs. 5 sq. de comoedia dictam addideris, nihil est quod amplius desideretur. Ac profecto totius loci tenor cogit nos, ut versus de nobili quadam scena quae nuper in comoedia acta sit intellegamus. Toto se ore risisse Dicaeopolis confitetur (ἐγανώθην optime de Κεχηναίῳ dictum) cum *videret* (ἰδών) Cleonem quinque talenta vomentem; quapropter se equites diligere, opponitque vs. 9 huic gaudio comico dolorem quendam tragicum i. e. ex tragoedia perceptum. Facile eruemus, qua in fabula Dicaeopolis Cleonem talenta spuentem viderit; in Babyloniis scilicet, ad quam in Acharnensibus toties alludit, Aristophanes Cleonem induxerat a sociis, ut vectigalium gravitatem minueret, quinque talentis corruptum, quae deinde corona intuente evomere equitum opera coactus est. Neque aliud quidquam respicere videtur schol. supra allatum, sive Theopompus rem ut jocum fictum narraverat, sive ludum comicum pro re vera acceperat, quod saepissime veteribus scriptoribus accidisse constat. In Babyloniis praeter ceteros magistratus imprimis Cleonem perstrictum esse schol. ad Acharn. vs. 378 testatur et ex fragmentis perquam exilibus apparet cf. Kock. frgm. 81 (schol. Av. 1556). de causa quadam principibus popularium intenta a Baccho diiudicata loquitur Athenaeus 11, 494 d (Kock. fr. 70). Plura equidem de Babyloniorum consilio in tanta fragmentorum inopia asserere non ausim, dummodo hoc constet, equites iam tum Cleoni inimicissimos in Babyloniorum fabula nescio quo vomitorio hominem popularem coegisse, aurum illud a sociis per fraudem acceptum exspuere. Hoc quidem erat facinus dignum Graecia, quod re vera nunquam accidit — non desiisset enim Aristophanes Cleonem propterea illudere — sed quod poeta ingeniose finxerat. Et cives opinor et socii salsissimum hoc inventum riserunt, Cleo vero tam graviter tulit, ut criminibus undecunque quaesitis poetam persequeretur cf. Anonym. de Arist. vita δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγεν.

Non sane paenitebit paullulum a re proposita aberravisse, dummodo de loco conclamato ac paene desperato probabilem sententiam attulisse videamur.

Aristophani igitur ceterisque poetis comicis comoediae licentia singulari lege non oppressa Dionysiis Magnis non minus libere de republica dicere licebat quam Lenaeis. Tamen si fabulae Dionysiis datae, Nubes, Pax, Aves paullo mitiores et remissiores videntur quam quae Lenaeis actae sunt Acharnenses, Equites, Vespae, non certa hoc ratione a poeta institutum esse contendo,

sed casui debere, id quod nemo negaret, si plures aliorumque poetarum comoedias fatum nobis servasset.

Nullis sane in vinculis pulcherrima haec poesis inde ab Ol. LXXXV. 4 usque ad XCI iacebat, quod ne consentiret quidem cum imperio populari effuso et nimia omnium rerum licentia in praeceps ruente, sed ut Ciceronis verbis utar, summa erat libertas, ut quod vellet comoedia de quo vellet nominatim diceret. quod idem Platonius *περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν* non semel sed tribus docet testimoniis: Duebn. p. XIII, lin. 7: *τῆς ἰσηγορίας οὖν πᾶσιν ὑπαρχούσης ἄδειαν οἱ τὰς κωμῳδίας συγγράφοντες εἶχον σκώπτειν καὶ στρατηγοὺς καὶ δικαστὰς τοὺς κακῶς δικάζοντας καὶ τῶν πολιτῶν τινὰς ἢ φιλαργύρους ἢ συζῶντας ἀσελγείᾳ*. et eadem fere leguntur inde a lin. 61: *ὑποθέσεις μὲν γὰρ τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ἦσαν αὗται· τὸ στρατηγοῖς ἐπιτιμᾶν καὶ δικασταῖς οὐκ ὀρθῶς δικάζουσι καὶ χρήματα συλλέγουσιν ἐξ ἀδικίας τισὶ καὶ μοχθηρὸν ἐπανηρημένοις βίον.* tertius est locus ibid. lin. 35: *σκοποῦ γὰρ ὄντος τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας τοῦ σκώπτειν δήμους καὶ δικαστὰς καὶ στρατηγούς*, ubi *δήμους* corruptum esse viros doctos effugisse miror. etenim veteris comoediae fuisse, *δήμους* i. e. pagos perstringere. probabile non est, nisi forte de Eupolidis Pagis cogitandum censeas. Neque tamen *δῆμον* singularem posuerim, quod aperte pugnaret cum loco Ps. Xenophonteo *κωμῳδεῖν τὸν δῆμον οὐκ ἐῶσιν* neque bene congrueret cum duobus locis simillimis eiusdem tractatus, ubi praeter duces et iudices nominantur *τῶν πολιτῶν ἢ φιλάργυροι ἢ συζῶντες ἀσελγείᾳ* et *οἱ τὰ χρήματα συλλέγοντες ἐξ ἀδικίας*, sed eiusdem fere sententiae verba etiam nostro loco excidisse arbitror.

Octavo saeculi quinti decennio veteris comoediae licentiam nullis legibus circumscriptam fuisse probavimus; inquiramus nunc qualis insequenti tempore condicio fuerit. Liberrimam fuisse fragmenta perquam exilia Pagorum Eupolidis et Baptarum docent. Brevi tamen et reipublicae et poesi infausta tempora inciderunt. Initio Ol. XCI cum omnium animi ad res Siculas intenti essent, cum hermocopidarum scelere tota civitas gravissime perturbaretur, comoediae licentiam aliquo modo repressam esse testis est schol. ad Av. 1290 sq. *ὀρνιθομανοῦν δ' οὕτω περιφανῶς, ὥστε καὶ*
πολλοῖσιν ὀρνίθων ὀνόματ' ἦν κείμενα

— — — — — — — — — — — — — —

1296 *ἶβις Λυκούργῳ, Χαιρεφῶντι νυκτερίς,*
Συρακοσίῳ δὲ κίττα.

schol.: *Συρ. δὲ κίττα: Οὗτος γὰρ τῶν περὶ τὸ βῆμα καὶ Εὔπολις ὡς λάλον ἐν Πόλεσι διασύρει ‚Συρακόσιος δ' ἔοικεν, ἡνίκ' ἂν λέγῃ, τοῖς κυνιδίοισι τοῖσιν ἐπὶ τῶν τειχίων, ἀναβὰς γὰρ ἐπὶ τὸ βῆμ' ὑλακτεῖ περιτρέχων'. δοκεῖ δὲ καὶ ψήφισμα τεθεικέναι μὴ κωμῳδεῖσθαι ὀνομαστί τινα, ὡς Φρύνιχος ἐν Μονοτρόπῳ φησί· ψῶρ' ἔχε Συρακόσιον, ἐπιφανὴς γὰρ αὐτῷ καὶ μέγα τύχοι. ἀφείλετο γὰρ κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμουν. διὸ πικρότερον (αὐτῷ* R.) *προσφέρονται* (Kock. p. 377). Quod scholion viri docti iure permagni aestimaverunt, non propter scholiastae coniecturam *δοκεῖ-ὀνομαστί τινα*, sed quia ipsius Phrynichi verba certissimum testimonium videbantur eo fere tempore comoediae libertatem circumscriptam fuisse; sed de ipsis Phrynichi verbis magna inter criticos dissensio est.

Et Cobetus quidem, cum rhythmum anapaesticum esse sibi persuasisset, coniectura paullo audaciore, ut ipse ait, proposuit:

Ψώρα δὲ Συρακόσιον κατέχοι, τρυγικοῖς ἐφάνη γὰρ ἅπασιν
μέγα πῆμα χοροῖσιν, ἀφείλετο γὰρ κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμουν.

Admiror equidem Cobeti artem versus Graecos faciendi neque minus G. Hermanni conatum versus restituendi cf. Fritzche Quaestiones Arist. p. 307 Cobet. Obs. crit. in Plat. com. p. 39:

Φῶρ' ἔχθε Συρακόσιον.
κἀπιφανὴς γάρ.
καὐτῷ τι τύχοι μέγ', ἀφείλετο γὰρ
κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμουν.

sed hosce versus a Phrynicho profectos esse nunquam mihi persuadebo.

Hoc vel primo oculorum obtutu apparet, verba priora nullo modo in rhythmum anapaesticum cadere, qui tamen necessario requiritur, cum verba *ἀφείλετοι γὰρ* seq. non primus versus stichi anapaestici esse possint. Facilius metro cretico verba parere videntur; quare Usenerus (cf. Leo p. 23. n.) scribendum censuit:

ψᾶρ' ἔχε Συρακόσιον.
εἶθ' ἐπιφανὲς γὰρ αὐτῷ
καὶ μέγα τύχοι κακόν.

et Leo coniecit:

ψῶρ ἔχε Συρακόσιον
ἐπιφανὲς γὰρ αὐτῷ καὶ μέγα τύχοι —

Sed quid de sequentibus anapaestis fiat, qui cum metro cretico nunquam coniuncti inveniuntur? necessario consequi videtur non unum atque sincerum esse hoc fragmentum sed confluxisse ex

duobus iisque diverso metro compositis et lacunam inter utrumque statuendam esse. De fragmentis ipsis autem optio datur, ex eademne fabula fluxisse credamus (sc. ex Phrynichi Monotropo), an ex diversis eiusdem poetae fabulis, an variis poetis originem debeant. quidnam eligendum sit. extremum scholion docet *διὸ πικρότερον αὐτῷ προσφέρονται*, in quo *διὸ* ad ipsam rem a scholiasta narratam pertinet neque tamen de uno poeta sed de compluribus sermo fit. Iam apparet alterius poetae nomen, anapaestorum auctoris, ex scholii contextu excidisse, id quod facillime fieri potuit.

Restat ut de priore fragmento dicam quid sentiam, in quo prorsus eum Muellero Struebingio facio, cuius sanam de hoc loco sententiam hac dissertatione dudum scripta cognovi.

Iudicaveram equidem, et video nunc Muellerum idem fere sentire in Fleckeis. Ann. 1882 ,Protagorea', viros doctos frustra laborasse in rhythmi vincula coercere quae nunquam a poeta dicta sint, Phrynichique Monotropo solum *ψῶρ ἔχε* (corr. *ἔχοι*) *Συρακόσιον* tribueram; in ceteris *ἐπιφανὴς γὰρ αὐτῷ καὶ μέγα τύχοι* nihil nisi scholiastae explicationem quamvis corruptam et vix sanabilem ad illud *ψῶρ' ἔχοι* latere conieceram.

His de forma scholii praemissis inquiramus, quid ne fieret vetitum sit, qua de re viri docti mirum in modum dissentiunt. Et Cobetus quidem in Obs. crit. in Plat. p. 39 verba *ἀφείλετο γὰρ κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμουν* ita intellexit ,ne liceret comoediam in aliquem scribere, qui personatus in scena sic ageretur, ut spectatoribus aut ineptus aut improbus in rempublicam proponeretur'.

Hac ratione igitur rempublicam hominibus ridiculis Alcibiadi, Euripidi, Agathoni, Pisandro consuluisse Vir doctus putat? malum credo iis patrocinium praestitisset, si prohibuisset, ne in singulos ignominiosae comoediae fierent, ceterum autem permisisset poetis, quemcunque vellent atrocissimis calumniis persequi.

Leonis legem quam futilem esse iam supra demonstravi hic praetermittens ad Droyseni sententiam venio (Mus. Rhen. IV p. 59). lege cautum fuisse, ne commemorarentur ii, qui propter mysteria profanata in iudicium vocati essent, quod maxime optimatibus agitantibus contra Alcibiadem constitutum esse Vir doctus putat, ne viri quondam dilectissimi in scena honorifice memorati populus desiderio caperetur. Quae coniectura quamvis ingeniosa vereor tamen ut probabilis sit. Num credamus Syracosium rhetorem illum *ἀπὸ τοῦ βήματος* a paucorum partibus stetisse, an

populum quamvis graviter afflictum talem rogationem probasse, cuius veram vim prorsus nesciret? Ne unum quidem civem opinor assensurum fuisse huiusmodi legis auctori, quo scelestissimis hominibus parceretur, quos iuste a se punitos esse populus persuasum habebat. ceterum dubito, num quid tali lege effici potuerit; nam sexcentis rationibus poetae Alcibiadis desiderium, etiamsi non nominabant, in populo excitare poterant.

Haec maxime argumenta Droyseni coniecturae obstare mihi videntur. quamquam Viro Summo hoc concedendum est, poetas hermocopidas propter ipsum scelus non perstringere — Avium vs. 147 et Phrynichi fragmentum apud Plut. Alcib. 20 (Kock. p. 385) leviculi sunt ioci — sed veram huius rei causam cum Leone in eo potius viderim, quod omnes fere rei mortui aut expulsi erant; mortuis autem comici utique parcebant.

Non minor difficultas oritur quaerentibus de legis auctore. Syracosium hominem obscurum tantum apud populum valuisse viri docti negaverunt; verum legis suasorem Alcibiadem fuisse, qua in re nituntur in schol. Aristid. rhet. III p. 444: *ἄλλοι δὲ λέγουσιν, ὅτι ἐκωμῴδουν ὀνομαστὶ τοὺς ἄνδρας μέχρις Εὐπόλιδος. περιεῖλε δὲ τοῦτο Ἀλκιβιάδης ὁ στρατηγὸς καὶ ῥήτωρ· Κωμῳδηθεὶς γὰρ παρὰ Εὐπόλιδος ἔῤῥιψεν αὐτὸν ἐν τῇ θαλάττῃ ἐν Σικελίᾳ συστρατευόμενον εἰπών· Βάπτες μ' ἐν θυμέλῃσι, ἐγώ δέ σε κύμασι πόντου βαπτίζων ὀλέσω νάμασι πικροτάτοις* et afferunt ex Anon. *π. κωμ. καὶ οὕτω δὴ ἢ διαφθαρέντος (Εὐπολ.) τοῖς κύμασι παντελῶς ἢ καὶ περισωθέντος ψήφισμα ἔθετο Ἀλκιβιάδης μηκέτι φανερῶς ἀλλὰ συμβολικῶς κωμῳδεῖν.* Hisce testimoniis cum schol. Av. 1297 coniunctis docuerunt viri docti Alcibiadem ipsum Eupolidis Baptis nuper acta acerrime vexatum Syracosium ad rogationem illam ferendam subornasse. Sed dubito an testimoniis tantum tribuendum sit, cum plena sint absurdissimi erroris. Eupolis quidem ab Alcibiade nunquam in mare proiectus est, certe non in expeditione Sicula cf. Cic. ad Att. VI, 1, 18 ‚Quis enim non dixit *Εὔπολιν τὸν τῆς ἀρχαίας* ab Alcibiade navigante in Siciliam deiectum esse in mare? redarguit Eratosthenes, affert enim, quas ille post id ipsum fabulas docuerit'.

Neque magis fide dignum est illud alterum, Alcibiadem ipsum legis auctorem fuisse. nam dum Alcibiades florebat et populus spe elatus vigebat, de tali lege omnino cogitandum non est, postea vero cum populo religionibus graviter turbato in ius vocatus esset, ne diis quidem iuvantibus talis legis auctor esse potuit.

Dubitandum igitur non videtur, quin Syracosius homo popularis rogationem comoediae infestam tulerit. at quid ne fieret, vetitum esse credamus? nam quae de hermocopidis, de divitibus et potentibus, de magistratibus non perstringendis viri docti posuerunt supra refutavimus. De chori splendore legitime imminuto, si quis iam hic cogitaverit, opponam Aristophanis Aves necessario summo cum chori splendore et sumptu actam fuisse, neque hanc reprimendi rationem cum poetae querella convenire.

Ad ipsas Ol. XCI, 2 fabulas ut optimum fontem redeundum est. Ac primo quidem loco occurrit Amphiaraus titulus, qua in fabula heros inducitur, aegroti sanantur, de republica autem sermo non est.

In Phrynichi Monotropo simul cum Amipsiae Comissatoribus et Aristophanis Avibus Magnis Liberalibus acta nescio quis homo tristis et morosus in solitudine miseram vitam conqueritur fr. 18 (Kock.) inimicos acerbe increpat fr. 20,26. fortasse etiam Hercules notas suas partes agit fr. 2. rempublicam acriter vituperatam esse nullo fragmento probatur.

In Amipsiae Comissatoribus iuvenes bibentes et post convivium tumultuando et demoliendo hermocopidas aequantes in scenam producti esse videntur, de republica nihil atrocius dictum esse opinor. Denique Aristophanis fabula, cum ceterae eiusdem poetae sint πολιτικώταται, tota in avium regno versatur, quarum dulcis cantus et amoena vita laudibus extollitur; Atheniensium vero respublica vix tangitur, quod mirum sane est, cum eodem fere tempore belli domique res gravissimae fierent. Haec omnia num Aristophanem, Phrynichum, Amipsiam ultro silentio praeteriisse credamus, aut ad res ex mytho sumptas et ad talia argumenta rediisse nisi coactos? Annis Ol. LXXXV, 1 — LXXXV, 4 vetitum fuisse vidimus, ne reipublicae administrandae ratio perstringeretur. Eandem facultatem res publicas perstringendi Ol. XCII, 1 poetis comicis ademptam esse ex eisdem signis apparet. Populus qui, dum res bene stabant, tali lege nunquam delicias suas minuisset, tum summo coniurationum timore turbabatur et de populari imperio iam actum esse putabat. In his quae suspicabantur periculis, si quis rhetor in concione monuerit, ne paterentur reipublicae consilia et instituta unde salutem exspectarent, a poetis in derisionem vocari, aut ipsam rempublicam quam aegre tenerent impie perstringi, nonne Athenienses πρoβούλους constituisse credamus, ne comoedia in rebus publicis et externis et internis amplius versaretur?

Hunc fere in modum legem Syracosii interpretandam esse iam una Avium parabasis docere potuit. Poetae cum alias in anapaestis qui proprie dicuntur rempublicam vituperare aut laedere soleant, hic de mundo ex ovo creato et de utilitate avium sermo est.

Sic mea quidem sententia optime explicatur, cur Aristophanes et ceteri comici de magna illa expeditione ad quam omnium animi intenti erant omnino nihil dixerint, cur Atheniensibus, quamvis multa in republica displicerent, nihil crimini dederint et huc refero poetae querellam *ἀφείλετο γὰρ κωμῳδεῖν ὡς ἐπιθύμουν* ut facillima mutatione locum scribo. Neque cum hac mea interpretatione pugnat locus argumenti Avium. *ἐπὶ οὖν τοῦ Δεκελεικοῦ πολέμου πονηρῶν τινῶν τὰ πράγματα ἐγχειρισθέντων ἐπισφαλὴς γέγονεν ἡ παρ᾽ αὐτῶν κατάστασις. καὶ ἐν μὲν ἄλλοις δράμασι διὰ τῆς κωμῳδικῆς ἀδείας ἤλεγχεν Ἀριστοφάνης τοὺς κακῶς πολιτευομένους, φανερῶς μὲν οὐδαμῶς, οὐ γὰρ ἐπὶ τούτου ἦν, λεληθότως δὲ, ὅσον ἀνῆκεν ἀπὸ κωμῳδίας προσκρούειν. ἐν δὲ τοῖς Ὄρνισι καὶ μέγα τι διανενόηται* quo in loco misere corrupto et nequaquam a viris doctis sanato inesse videtur, in ceteris quidem fabulis Aristophanem homines in ipsa republica male administranda perstrinxisse, in Avibus ne hoc quidem licuisse; habes fere nostram legis interpretationem.

Hic subsistamus; nulla enim praeterea testimonia de singulari quadam lege exstant, unde utile quidquam eruatur. neque ulla post cladem Siculam lege opus erat ad comoediae libertatem frangendam. Ipsa enim temporum iniquitas efficiebat, ut poesis quondam validissima paulatim prorsus infirmaretur.

II.

Altero loco mihi proposueram ut disputarem quae amicitiae et simultates inter Aristophanem et poetas comicos aequales intercesserint. Res ipsa cum penitus ad Aristophanis ingenium pertineat, haud alienum erit, de veteris poeseos comicae indole ac natura et de Aristophanis ingenio quid sentiam paucis exponere.

Iam antiquis temporibus docuerunt grammatici docentque vel hodie viri docti comoediam Graecorum eo maxime spectasse, ut cives meliores redderet. honestum sane consilium, dummodo ne poetae, ut hoc perficerent, pravissimam viam iniissent! an homines pudiciores fiunt impudicitia per iocum nude ante oculo posita aut religiosius deos colent, cum ipsos magistros deos videant irridentes?

Itaque vereor ne haec doctrina magis ex virorum doctorum cogitatione quam ex poetarum consilio fluxerit. Graecorum certe poetae neque tragoediam composuerunt, ut in auditoribus affectuum quam dicunt purgationem efficerent neque comoediam, ut civitatem meliorem redderent, sed solum ad deum celebrandum, id quod tragicus severo comicus ridiculo modo perfecit. Poeseos sane comicae summa fuit lex machinis qualibuscumque grandem auditoribus cachinnum excitare. Hominum autem naturae cum insitum sit, ut non rideant res honestas, contraria argumenta comico palmae cupido in scenam proferenda erant, quae aut ex vera hominum vita collegit, aut nisi ultro sese obtulerunt finxit. Inde mea quidem sententia sequitur, omnes fere comicos praesentem aetatem vituperare, temporis acti autem laudatores exsistere. Itaque egregie illi falluntur, qui illud studium pravos homines odio persequendi et reipublicae labentis servandae Aristophani proprium fuisse censeant, neque enim in unius hominis ingenio sed in totius artis natura hoc cavillandi genus erat positum. Equidem de Aristophanis ingenio neque iis assentior, qui aliorum vitiorum severum et morosum[1]) iudicem poetam fuisse censuerunt, quem ipsum integerrimum piguerit et generis humani pravitatis et reipublicae miseriae neque cum illis facio, qui in contrariam partem erraverunt, cum Aristophanem levem et abiectum hominem, rerum obscaenarum singularem amatorem fuisse dicerent. — homini enim tribuunt, quod totius est poeseos — sed poetam ingeniosum hominem vere Atheniensem fuisse existimo, qui non ex sublimi Musarum sede hominum vitia castigaverit, sed qui riserit cum populo laeto et cum maerente lacrimaverit, qui irriserit homines non internecino odio impulsus

---

[1]) Erant qui in Aristophanis effigie quae dicitur nunc Bonnae posita morositatem quandam agnoscerent cf. Welcker. Ann. Instit. arch. 25 p. 251 Ann. arch. 1860 p. 10. Mon. Instit. V 155 cf. Teuffel Arist. Nubes Lips. 1867 p. 2: „Wirklich stimmt der Ausdruck des Ernstes, tiefen sittlichen Schmerzes (gerunzelte Stirn, tiefliegende Augen, 'einige Verdrossenheit um Augen und Mund, der sonst vorzüglich schön und ausdrucksvoll ist') zu einem Bilde des A. weit besser, als zum Dichter der *Πυτίνη*". Sed his argumentis non nimium tribuendum videtur. Equidem de illa herma duplice nunc ita iudico: fieri quidam potuit, ut sequioris aevi aliquis artifex Menandro veteris comoediae principem Aristophanem adjungeret et fortasse Welckerus recte coniecit, quamquam consentaneum est poetae iam dudum mortui non veram imaginem artificem expressisse sed ex suo ingenio vultus finxisse; itaque nescio an non plus valeat haec herma ad Aristophanis veram figuram cognoscendam quam Feuerbachii pictura convivii Platonis.

sed poetae comici munere functus, omnibus in rebus suae gentis genuina progenies, qualem Plato aequalis in divino symposii opere finxit.

Quod modo contendi esse quaedam, quae non Aristophani homini tribuenda sint, sed omnino artis comicae naturae et indoli, a quo poeta totus pendeat, idem valere mihi videtur in simultates inter poetas comicos exercitas. Ipse enim ferebat mos cum omnino homines ridiculos illudere tum aemulos, qui aliorum clade gauderent suis victoriis exsultarent, acerrime perstringere, quem molestum morem iam Plato vituperat in Phaedro p. 263 *ἵνα μὴ τὸ τῶν κωμῳδῶν φορτικὸν πρᾶγμα ἀναγκαζώμεθα ποιεῖν ἀνταποδιδόντες ἀλλήλοις.*

Ordiamur a **Cratino**, qui summus poeta cum Aeschylo solo comparandus artem comicam ex primordiis debilissimis ad summum perfectionis fastigium sustulit. Certe hujus ingeniosi poetae ars festis diebus laudibus cumulata Aristophanis pueri animum inflammavit excitavitque illud ingenium, quo ipse adulescentulus magistrum obscuraturus erat. Senem Cratinum quin Aristophanes primum summa verecundia coluerit, non est quod dubitemus. Ne vero intima quaedam familiaritas inter utrumque poetam existeret, impediebat et aetatis annorum fere sexaginta discrimen et aemulatio laudisque alienae invidia.

Cum Aristophanes adulescentulus ad fabulas scribendas se accingeret, Cratini vires iam evanescebant, Musaque senescere videbatur. Hoc ipsorum Atheniensium erat iudicium cum Ol. LXXXVIII, 3 Cratini *Χειμαζομένοις* et Eupolidis *Νουμηνίαις* Aristophanis Acharnenses praeferrent adeoque fabulas illas neglegerent, ut iam aetate Alexandrina perierint, cf. Argum. Acharn. *ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθυμένους* (Dind. *Εὐθύνου*) *ἄρχοντος ἐν Ληναίοις διὰ Καλλιστράτου· καὶ πρῶτος ἦν. δεύτερος Κρατῖνος Χειμαζομένοις, τρίτος Εὔπολις Νουμηνίαις. οὐ σῴζονται* (ex coni. Elmsleii *οὐ σῴζ.* huc transpositum). In hac Acharnensium fabula Cratinum ab Aristophane aemulo laedi viri docti negaverunt; neque enim probabile esse, poetam subintellegi vs. 848:

οὐδ' ἐντυχὼν ἐν τ' ἀγορᾷ πρόσεισί σοι βαδίζων
Κρατῖνος αὖ κεκαρμένος μοιχὸν μιᾷ μαχαίρᾳ,
ὁ περιπόνηρος Ἀρτέμων,
ὁ ταχὺς ἄγαν τὴν μουσικήν,
ὄζων κακὸν τῶν μασχαλῶν
πατρὸς Τραγασαίου.

quae eadem fere scholiastes prosa oratione repetit, neque habeo equidem, quod interpretibus hoc loco opponam. In versu tamen 1172: ἐπάξειεν δ' ἔχων

τὸν βόρβορον, κᾆπειθ' ἁμαρτὼν βάλοι Κρατῖνον.

quamquam schol. adnotat: παρ' ὑπόνοιαν λέγει Κρατῖνον οὐ τὸν ποιητὴν ἀλλά τινα ἕτερον ἀλαζόνα καὶ θρασὺν καὶ μαινόμενον καὶ μέθυσον, cui omnes fere Acharnensium interpretes fidem habent, nescio an consilio poeta in dubio reliquerit, quemnam subintellegi vellet, poetamne aemulum propter vinositatem famosum, an alium quendam eodem nomine praeditum. Certe tota corona cui interpres non aderat ad notum Cratinum poetam rettulit agrestemque iocum ingenti cachinno excepit. haec igitur ambiguitas quaesita vide quantillum absit ab ipso maledicendo. Alius convicii in Cratinum coniecti Aristophanem auctorem fuisse Meinekius Hist. Crit p. 46 coniecit ex iis quae exstant apud Suidam s. v Ἐπειοῦ. Ἐπειοῦ δειλότερος· οὕτως ἐλέγετο Κρατῖνος ὁ κωμικός, ἴσως διὰ τὸ ταξιαρχῆσαι τῆς Οἰνηίδος φυλῆς δειλότερός τε φανῆναι. Non assentior, nam si unquam Cratinus hoc munere militari functus est, Aristophanes eodem fere tempore natus iocum profundere non poterat, cui non nisi post ipsam quam tetigit rem locus erat; alius igitur Cratini aemulus hoc lusisse censendus est. Cratino certe stomachum movit, quod ab adulescentulo victus esset, qua de clade non dubito quin Satyris una cum Aristophanis Equitibus acta ante spectatores questus sit; sed iterum ab aemulo devictus et derisus discessit. Iuvenis enim poeta recenti victoria elatus Cratini Musam invalidam iam et senescentem adeo sprevit, ut ,misereret Cratini quondam florentis nunc balbutientis' coronam admoneret: neglectum et siti vexatum errare poetam propter tot victorias dignissimum qui ad patronum suum Bacchum in prytaneo bibat, ut tandem aliquando taceat neve inopia cogatur seniles et aridas fabulas conscribere.

Cf. Equit. vs. 526:

εἶτα Κρατίνου μεμνημένος, ὃς πολλῷ ῥεύσας ποτ' ἐπαίνῳ
διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἔρρει καὶ τῆς στάσεως παρασύρων
ἐφόρει τὰς δρῦς καὶ τὰς πλατάνους καὶ τοὺς ἐχθροὺς προθελύμνους κτλ.

Hisce Cratinum versibus in Lagoena fabula respondisse viros doctos effugit aut, si non effugit, miror cur non dixerint in interpretando Cratini fragmento apud schol. Arist. Equit. 526 (Kock. fr. 186):

ἄναξ Ἄπολλον, τῶν ἐπῶν τῶν ῥευμάτων.
καναχοῦσι πηγαί, δωδεκάκρουνον τὸ στόμα,
Ἰλισὸς ἐν τῇ φάρυγι· τί ἂν εἴποιμ' ἔτι;
εἰ μὴ γὰρ ἐπιβύσει τις αὐτοῦ τὸ στόμα,
ἅπαντα ταῦτα κατακλύσει ποιήμασιν.

At scholiastes, quamvis gravissimo temporum errore captus docere potuit Cratinum non sine consilio imaginem torrentis rapidi in Lagoena repetivisse: schol. ad Equit. 526: *δοκεῖ δέ μοι Ἀριστοφάνης ἀφ' ὧν αὐτὸς εἶπε Κρατῖνος περὶ αὑτοῦ μεγαληγορῶν, ἀπὸ τούτων καὶ οὗτος τὴν τροπὴν εἰληφέναι. ὁ γὰρ Κρατῖνος οὕτω πως ἑαυτὸν ἐπῄνεσεν ἐν τῇ Πυτίνῃ* sequitur fragmentum supra allatum *ἤ τοι οὖν τούτων χάριν καὶ Ἀριστοφάνης περὶ τοῦ Κρατίνου ταῦτα λέγει, ἢ τὸ ῥεύσας εἶπε σκώπτων πρὸς τὸ ἐνουρεῖν τὸν Κρατῖνον* cf. schol. ad 527.

In extremis inde ab *ἢ τὸ ῥεύσας* apparet scholiastam ineptire, seductum opinor versu 400:

εἴ σε μὴ μισῶ, γενοίμην ἐν Κρατίνου κῴδιον

sive cum cod. *Δ* et *Θ* scribas *ἂν Κρατίνου κῴδιον*, ubi loco recte perspecto adnotat *ὡς ἐνουρητὴν δὲ καὶ μέθυσον διαβάλλει τὸν Κρατῖνον.*

Cratinus vero cum nequaquam ille senex delirans sibi videretur, insequenti anno Lagoena fabula Atheniensibus novum ingenii testimonium dedit, qua aemulum procacem conviciis similibus et fortasse multo acrioribus ultus est, cf. schol. ad Equit. 528. Ex eadem Lagoena parabasi, si quidem Kockius recte coniecit, excerptus est versus ap. schol. Pac. 603 (K. fr. 198):

ὦ λιπερνῆτες πολῖται (Kock. non bene *θεαταὶ*)
τἀμὰ δὴ ξυνίετε ῥήματ'.

‚quo spectatores antea se victore divitissimos nunc pauperes esse significat, postquam poetae minus ingeniosi palmam sibi praeripuerint'. Huc eodem pertinet fragmentum ap. schol. Plat. Bekker. p. 330 (Kock. fr. 307): *Ἀριστοφανής — ἐκωμῳδεῖτο ἐπὶ τῷ σκώπτειν μὲν Εὐριπίδην, μιμεῖσθαι δὲ αὐτόν· Κρατῖνος·*

τίς δὲ σύ; κομψός τις ἔροιτο θεατής.
ὑπολεπτολόγος, γνωμοδιώκτης, εὐριπιδαριστοφανίζων

id quod Runkelius, Fritzschius, Bergkius suspicabantur, quamquam certissima argumentatione rem probare potuerunt. Etenim cum post Acharnenses, Ol. LXXXVIII, 3, qua fabula Euripides perstringi-

tur, dicterium ortum esse opporteat, Cratini fabula autem anni Ol. LXXXVIII, 4 paullo postquam acta est perierit — nusquam enim *Σάτυροι* citatur — necesse est e Lagoenae parabasi illi versus desumpti sint. Aristophanes hujus criminis ne post mortem Cratini quidem oblitus se defendit. pergit enim schol. ad Plat. p. 330: (Kock. p. 513) *καὶ αὐτὸς δ' ἐξομολογεῖται Σκηνὰς καταλαμβανούσαις·*

> *Χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ τοῦ στόματος τῷ στρογγύλῳ,*
> *τοὺς νοῦς δ' ἀγοραίους ἧττον ἢ 'κεῖνος ποιῶ*

ad quod fragmentum Kockius commentus est: ‚crimen a Cratino obiectum facile etiam ab alio aemulo repeti poterat‘. Poterat sane, quamquam non iusta causa est, cur negemus Cratini iam mortui incriminationem respici. Ipsum opprobrium apparet esse ineptum et ex mera invidia ortum; neque enim usquam Aristophanes Euripidem imitatur, quasi eius artem magni aestimaverit, sed ubique irridendi causa repetit eius dictiones putidas modosque detorquet *ἀνὰ τὸ δωδεκαμήχανον Κυρήνης* compositos.

Cratinum paullo post Lagoenam actam centum fere annos natum obiisse constat ex Luciani Macrob. 25 III p. 227 *Κρατῖνος δὲ ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητὴς ἑπτὰ πρὸς τοῖς ἐνενήκοντα ἔτεσιν ἐβίωσε καὶ πρὸς τῷ τέλει τοῦ βίου διδάξας τὴν Πυτίνην καὶ νικήσας μετ' οὐ πολὺ ἐτελεύτα.* In Vespis Aristophanes aemulum nusquam aperte tangit, quem in Pace iam ut mortuum memorat vs. 700: *τί δαί; Κρατῖνος ὁ σοφὸς ἔστιν;* interrogat Mercurius, postquam de Sophocle rem sane turpem comperit; respondet Trygaeus: *ἀπέθανεν*

> *ὅθ' οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον· E. τί παθών TP. ὅτι;*
> *ὡρακιάσας οὐ γὰρ ἐξηνέσχετο*
> *ἰδὼν πίθον καταγνύμενον οἴνου πλέων.*

Ludit scilicet Aristophanes Cratinum Lacedaemoniis invadentibus mortuum esse nimio absumptum dolore, quod hostes in vinarium irruissent. Nota est Cobeti ratio locum expediendi, (Obs. crit. p. 87) qui Platonem comicum hic exagitari censet, cuius fabula *Λάκωνες ἢ ποιηταὶ* adeo languida appellatur, ut Cratinus taedio illas nugas spectandi absumptus sit. Huic commento ingenioso quidem sed nimis artefícioso non accedo. Neque enim auditores vel sagacissimi iocum intellexissent. idem valet in eam quam Bergkius proposuit rationem (Rel. com. Att. p. 187), quasi Cratinus anno Ol. LXXXIX, 3 in vivis quidem fuisset, sed senectute iam

exhebetatus per iocum in mortuis diceretur; poetae ingenium iam torpuisse et exstinctum esse, cum primum Lacedaemonii invasissent i. e. initio belli Peloponnesiaci, quo ex tempore nihil nisi nugas ediderit. Sed cur ad invasionem revera factam iocum referamus, cum comico temporum severa ratione non vincto licuerit quamlibet invasionem fingere, ut Cratinum haud pridem defunctum siti absumptum esse spectatoribus ioco sane lepido probaret. Noli tamen Aristophanem vituperare quod mortuo hic insistat; est enim iocus sine acerbitate et nescio an in Sophoclem summi a se aestimatum turpius quid quam in Cratinum aemulum coniecerit cf. vs. 698.

Cratini morte simultates plane solutae atque dispersae sunt summaeque concesserunt admirationi, cuius rei Ranarum parabasis nobilissimum testimonium praebet.

Cratinum inter et Aristophanem quae simultates intercesserint, quoniam enarravimus ad **Eupolin** accedamus, quem poetam summo ingenio praeditum iam Ol. LXXXVIII, 4 fabulam egisse testatur Anon. *π. κωμ.* III (Dübn. p. XV) *Εὔπολις Ἀθηναῖος ἐδίδαξεν ἐπὶ ἄρχοντος Ἀπολλοδώρου, ἐφ' οὗ καὶ Φρύνιχος*, duodevicesimo aetatis anno, ut est apud Suidam v. *Εὔπολις*. Suppar igitur Aristophani erat aetate neque minus ingenii splendebat lumine, si quidem recte affirmat Platonius *π. διαφορᾶς χαρ.* (Dübn. p. XIV) *Εὔπολις δὲ εὐφάντιαστος κτλ.* In conviciando erat acerbissimus neque dubitabat vel principes civitatis iurgiis obruere cf. Anon. *π. κωμ.* III, Persius Sat. I, 124. Nub. 97. 180 schol; acerrimo vero odio aemulos persequebatur. Cum Aristophane ingenio et arte mire sibi cognato usque ad Ol. LXXXVIII, 4 intimam familiaritatem servavit, cujus amicitiae fructum, Equitum parabasin alteram totam ab Eupolide scriptam esse, Kirchhoffius nuper probavit in Hermae XIII p. 287. Ad Equitum enim vs. 1288 (epirrhematis penultimum) *ὅστις οὖν τοιοῦτον ἄνδρα μὴ σφόδρα βδελύττεται* schol. adnotat: *φροντίσι συγγεγένημαι· ἐκ τοῦ· ὅστις οὖν τοιοῦτον ἄνδρα φασί τινες Εὐπόλιδος εἶναι τὴν παράβασιν, εἴγε φησὶν Εὔπολις· ξυνεποίησα τῷ φαλακρῷ.* quocum conferas Nub. 553:

> *Εὔπολις μὲν τὸν Μαρικᾶν πρώτιστος παρείλκυσεν*
> *ἐκστρέψας τοὺς ἡμετέρους Ἱππέας κακὸς κακῶς,*
> *προσθεὶς αὐτῷ γραῦν μεθύσην τοῦ κορδάκος οὕνεχ' ἣν,*
> *Φρύνιχος πάλαι πεποίηχ', ἣν τὸ κῆτος ἤσθιεν.*

Schol.: *ἐκστρέψας: ἅπαντα τὰ ἐμά, φησίν, ἔλαβε, προσθεὶς γραῦν μεθύσην, τὴν δοκοῦσαν μητέρα εἶναι τοῦ Ὑπερβόλου. Εὔπολις δὲ ἐν τοῖς Βάπταις τοὐναντίον φησίν, ὅτι συνεποίησεν Ἀριστοφάνει τοὺς Ἱππεῖς. λέγει δὲ τὴν τελευταίαν παράβασιν. φησί δέ· κἀκείνους τοὺς Ἱππέας ξυνεποίησα τῷ φαλακρῷ τούτῳ* (Kff. *προῖκα*) *κἀδωρησάμην.*

Apparet Aristophanem Eupolidi postea crimini dedisse, quod Equitum fabulam male in suam rem convertisset, Eupolinque se defendere 'sese uno cum isto calvo Equites composuisse suamque illi particulam condonasse'. Quaeritur utri poetae fides habenda sit, necesse enim est alter mentiatur, qua de re Kirchhoffius sic fere statuit: inde quod scholion bonae notae neque ex Aristophanis loco desumptum ad penultimum epirrhematis versum adnotatur, parabasin inde a vs. 1288 Eupolidis esse, consequi eosdem fere versus in aliqua Eupolidis fabula — Maricantem coniecit — lectos esse. Hosce versus Aristophani amico Eupolin quondam condonasse, postea vero amicitiae vinculo discisso pro suis usurpasse; cum tamen probabile non sit Eupolin parabaseos particulam in medio abruptam composuisse, totam ei parabasin alteram tribuendam esse, ex qua in Maricantem fabulam tantum receperit, quantum per fabulae consilium et temporum rationem licuerit.

Hactenus quidem stabit, quod Vir Summus de Eupolide totius parabaseos II auctore evicit. Nam quaecumque viri docti excogitaverunt, ut ex dicendi proprietate totam parabasin vere esse Aristophaneam probarent — quales conatus vide apud Stangerum in Annal. Gymn. Austr. 1871 p. 439 — eo maxime decepti sunt, quod Aristophani ut propriam dictionem tribuerunt, quae totius est veteris comoediae. In easdem fere hariolationes incurrant necesse est, qui hoc argumento nisi unam alteramve parabaseos particulam ab Eupolide ortam esse affirmant, cuius propriam dictionem ex dispersa et manca materia quis est qui perspiciat? At restat unum idque difficillimum, quomodo explicandum sit, cur poeta ipse et ingeniosus et uber alienis additamentis fabulam suam exornaverit, vel potius quae Kirchhoffii est sententia deformaverit. Hanc quidem difficultatem Vir Summus manca quam inesse putat fabulae compositione ita expedire conatur, ut Aristophanem parabasi ab Eupoli sibi allatae locum daturum scenam illam qua senex populus recoquitur fabulae iam confectae male assuisse doceat; inde explicari cur ante parabasin ne verbo quidem significetur, quid novi isiciarius in animo habeat, neque quid de

Cleone fiat. Ipsius isiciarii autem ingenium inde a vers. 1315—1383 plane commutatum esse hominemque antea agrestissimum subito humanum et bene moratum exstitisse; at versu 1384 seq. genuinam suam naturam rursum ostendere. His de causis Kirchhoffius versibus 1 — 1213; 1384 — extr. simplicissimum prioris fabulae consilium contineri censuit, cetera et parabasin alteram et scenam insequentem ab Aristophane non sine hiatu esse interiecta.

Ingeniose haec esse inventa negari nequit. Tamen mihi dubium videtur, num in comoedia omnia ad hanc severam normam referenda sint. Cum Aristophanes omnino laxo vinculo fabulas composuerit, id quod imprimis in comoedias Ol. LXXX et LXXXIX scriptas cadit, nescio an ex labente Equitum compositione, si qua est, non satis certi quidquam concludi possit. Negavit Kirchhoffius ullum esse connexum inter ea, quae parabasi praecedant et quae subsequantur; ac profecto, nusquam poeta manifesto quid cum Populo facturus sit profitetur; At ne debebat quidem mea sententia, si spectantes novo et inexspectato quodam ioco delectaturus erat. itaque ambiguo sermone consilium suum significavit vs. 1260 sq.:

καὶ μὴν ἐγώ σ' ὦ Δῆμε θεραπεύσω καλῶς,
ὥσθ' ὁμολογεῖν σε μηδέν' ἀνθρώπων ἐμοῦ
ἰδεῖν ἀμείνων τῇ Κεχηναίων πόλει.

Quae si ita acceperis, ut isiciarius laute se curaturum esse Populum promittat, nihil est quod desideretur. Porro ingenium ac mores Agoracriti inde a vs. 1385 subito in melius commutari Kirchhoffio quidem concedendum est, sed apud comicum poetam vix inde quidquam effeceris; est enim licentia comico permissa omnia praeter exspectationem turbandi et confundendi, quo magis hominum risus oriatur. Absit igitur severa constantia a poeta, quem Bacchi plenum fabulas fudisse veteres haud inepte luserunt; Quid quod in Equitum fabula praeter hunc quem tractamus locum hac licentia usus est. vers. 624 seq. enim Cleo, qui usque eo servi partes egerat, subito senatoris personam induit similique ioco in Vesp. 341 seq. chorus Cleoni amicissimus canit *τοῦτ' ἐτόλμησ' ὁ μιαρὸς χανεῖν ὁ δημολογοκλέων ὅδ'.*

In Equitibus quidem cur vacillet Agoracriti ingenium, facile apparet; Etenim a scena, in qua omnia laeto quodam lumine splendent et sanctitate quodammodo offusa sunt, turpes hominis popularis mores plane abhorruissent; simul cum isiciario etiam Populus veterem nequitiam et stultitiam abiecit artificio quodam

Aristophani usitatissimo, quo senes repuerascunt (cf. Senectutem fabulam), quo aegroti redduntur sani (cf. Amphiaraum, Plutum), quo omnino ingenium hominum perversum in contrarium mutatur (cf. Vespas, Lysistratam).

Itaque scenam pulcherrimam, quae a populo splendidum suum simulacrum spectante summo ni fallor plausu excepta est, ut cum Kirchhoffio pannum assutum existimarem facere nullo modo potui, sed uno cum ceteris tenore scriptam esse persuasum habeo. At restat difficultas solvenda, quid Aristophanem moverit, ut illud Eupolidis opusculum reciperet, cuius rei vestigium me invenisse arbitror.

Equitum parabasis altera ita est comparata itaque cum totius fabulae consilio cohaeret, ut sine ullo cum ea connexu composita esse non possit. Etenim cantus:

τί κάλλιον ἀρχομένοισιν
ἢ καταπαυομένοισιν
ἢ θοᾶν ἵππων ἐλατῆρας ἀείδειν

respicit ad priorem parabasin item equites celebrantem. praeterea non sine consilio Hyperbolus reipublicae turbator in parabasi fabulae quae tota in hoc argumento versatur exagitari videtur. inde mea quidem sententia sequitur Aristophanem et Eupolin, priusquam ad scribendum accederent, partes inter se distribuisse. Eupolin in Maricante Ol. LXXXIX, 3 acta versus 1288—1315 ut proprios repetivisse recte quidem Kirchhoffius coniecit; at non de hoc uno queritur Aristophanes in Nub. parabasi:

Εὔπολις μὲν τὸν Μαρικᾶν πρώτιστος παρείλκυσε
ἐκστρέψας τοὺς ἡμετέρους Ἱππέας κακὸς κακῶς

sed quod totius fabulae consilium ac rationem a se mutuatus sit. Omnino hanc Maricantem fabulam Equitum quasi umbram fuisse vel ex paucis quae supersunt reliquiis satis apparet. Nam praeterquam quod Maricas i. e. Hyperbolus Paphlagonii partes, Nicias Agoracriti egisse videtur (cf. Bergk. Rel. com. Att. p. 355) multae singulares et dictiones et sententiae utrique fabulae communes sunt; conferas, ut exemplum afferam, Equit. 411:

ἔγωγε νὴ τοὺς κονδύλους οὓς πολλὰ δὴ 'πὶ πολλοῖς
ἠνεσχόμην ἐκ παιδίου μαχαιρίδων τε πληγάς.

1236: *ἐν ταῖσιν εὕστραις κονδύλοις ἡρμοττόμην* cum Maricantis fr. 180 (Kock.):

καὶ πόλλ' ἔμαθον ἐν τοῖσι κουρείοις ἐγὼ
αἰόπως καθίζων κοὐδὲ γιγνώσκειν δοκῶν.

Nihil se ex musicis scire nisi literas et Maricas libere professus est cf. Quintilian I, 10, 18 et Agoracritus in Equitibus vs. 188:

> *ἀλλ᾽ ὦγάθ᾽ οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι*
> *πλὴν γραμμάτων καὶ ταῦτα μέντοι κακὰ κακῶς.*

Ponamus Aristophanem, cum intima familiaritate cum Eupoli coniunctus esset, consilium integram fabulam in Cleonem faciendi iam in Acharnensibus (vs. 300) pronuntiatum cum amico uberius communicasse, ipsum autem Eupolin simili Cleonis odio incensum multa Aristophani consilia dedisse et fabulae particulam componere ut liceret petivisse. *συνεποίησε* igitur, ut Eupolidis verbis utar, *τῷ φαλακρῷ Ἱππέας* ita, ut vix secerni posset, quid praeter parabasin praestiterit. postea simultate exorta non dubitavit et parabasin et alia multa ab ipso quondam inventa pro suis uti. Itaque quod inter nostrates viros doctos et poetas amicos saepius intercedere videmus, eos, quid scripturi sint, inter se communicare consiliisque se adiuvare, idem in Aristophanem et Eupolin tum amicos valuisse crediderim.

Quodsi adhuc recte ratiocinatus sum unam solum Equitum recensionem fuisse, necesse est improbetur etiam quod Droysenus quamvis splendide de hac re coniecit in versione Aristoph. novissima p. 90, Aristophanem Acharnensium versum 300 *ὃν ἐγὼ τεμῶ τοῖσιν ἱππεῦσι καττύματα* non per imaginem intellegi voluisse, sed revera Equites quondam scena conclusisse, qua Cleo corii instar dissectus sit et Eupolin, cum talem iocum illepidum iudicasset, parabasin et quae sequuntur suo de penu addidisse. Magnificum sane spectaculum dignumque cachinno Cleo in scena dissectus praebuisset, cuius simile quondam Athenienses in Babyloniis spectasse in interpretando Acharnensium initio supra evicisse mihi videor. Tamen quoniam Acharnensium vs. 301 hanc Droyseni interpretationem non necessario requirit, Equitum autem extremus actus Aristophanis ingenio vere dignus mihi videtur, requiesco in mea sententia supra proposita.

Haec fere habui quae de Aristophanis cum Eupoli amicitia dissererem, cuius veram naturam meo iudicio unice recte Droysenus perspexit, cum illius aetatis adulescentulos comicos societatem inisse coniiciat ad veteres poetas de scena removendos; sed ipsa Viri Summi verba lepidissima audiamus (l. l. p. 92): ‚In der That recht grüne junge Leute, wie wenigstens aus zwei Beispielen erhellt. Eupolis war, als er 428 seine erste Komödie dichtete, nach alter Überlieferung

noch nicht einmal Ephebe, 17 Jahre alt; und Aristophanes „gebar auch, ehe er durfte". — Wem Eupolis seine „Jungfernkinder" anvertraut hat, wird nicht überliefert. Wenn derselbe Eupolis dann die „Ritter" des Aristoph. vor der Aufführung in den Lenäen 424 (per error. typographi 425) las und nicht bloſs kritisierte, sondern einen Teil ihrer zweiten Parabase, ja den ganzen dritten Akt neu dichtete, — neidlos, da er Jahres vorher gegen die Acharner nur den dritten Preis gewonnen hatte, — so sieht das doch alles Ernstes nach einer Poetenklicke aus, die in der Theaterpolitik ungefähr ebenso gegen die Alten opponiert und sich den Vorstrich zu erringen trachtet, wie andere Klicken in der Staatspolitik — um so mehr nach einer Klicke, da wenige Jahre darauf von dieser litterarischen „Hetaerie" nichts als der Zank um Plagiate und gegenseitige Anzapfung über schlechte Verse, verfehlte Conceptionen, liederlichen Lebenswandel und dergleichen übrig geblieben ist'.

Ita in familiaritatis malis artibus satae natura positum videtur, ut nihil nisi discordia et inhonestae criminationes inde prodirent; quas quidem enucleanti et in luce ponere conanti haud nescius sum quantae difficultates obstent; neque enim testimonia dilucida et fide digna sese offerunt sed calumniae acerrimo odio exortae saepius caligine offusae interpretis officium requirunt, ‚quibus poeta minus veritati studuit, quam ei, ut adversarium in praesentia laederet', qua de re recte indicavit U. d. Wilamowitzius in Hermae VII, p. 158;

Simultatis atrocissimae paullo post Len. Ol. LXXXVIII, 4 inter Aristophanem et Eupolin ortae fortasse ipsa Equitum fabula causa erat. Pupugit ni fallor Eupolidis animum, quod fabula communi opera confecta solus Aristophanes summam gloriam tulisset, tantaque invidia adulescentem incendit, ut iam insequentibus Dionysiis cum fabulam ageret, nescio quid malitiosi in amicum pristinum coniiceret populumque doceret Aristophanem se adiuvante Equites scripsisse; certe Dionysiis Ol. LXXXIX, 1 res innotuerat, si quidem Cratinus in Lagoena adversarium incusavit *ὡς τὰ Εὐπόλιδος λέγοντα*. Eodem fere tempore Eupolis iratus quod Athenienses peregrinorum fabulas suis praetulissent, haec questus est:

Ἀλλ' ἀκούετ', ὦ θεαταί, τἀμὰ καὶ ξυνίετε
ῥήματ', εὐθὺ γὰρ πρὸς ὑμᾶς πρῶτος ἀπολογήσομαι,
ὅτι παθόντες τοὺς ξένους μὲν λέγετε ποιητὰς σοφοὺς
ἢν δέ τις τῶν ἐνθάδ' αὐτοῦ μηδὲ ἓν χεῖρον φρονῶν
ἐπιτιθῆται τῇ ποιήσει πάνυ δοκεῖ κακῶς φρονεῖν

μαίνεταί τε καὶ παραρρεῖ τῶν φρενῶν τῷ σῷ λόγῳ
ἀλλ' ἐμοὶ πείθεσθε πάντως. μεταβαλόντες τοὺς τρόπους
μὴ φθονεῖθ' ὅταν τις ἡμῶν μουσικῇ χαίρῃ νέων

(Stob. Flor. 4. 33 Kock. fr. 357) in quibus emendandis — sunt enim in libris manuscriptis misere depravata — praestantissima Bergleri, Wakefieldi, Jacobsii ingenia palmam tulerunt; neque Kockii coniectura spernenda est versus in duas partes 1—2; 3—8 dispescentis, ut initium et clausula epirrhematis existant; in vs. 5 pronuntiando histrionem certum quendam hominem fortasse Aristophanem digito monstrasse docet Meinekius (Fr. C. Gr. II p. 547) Bergkio praeeunte, qualem iocum cum Kockius a parabasi alienum iudicasset, proposuit *μαίνεταί τε καὶ παρεκρεῖ τῶν φρενῶν ὁ σῶς λόγος.* Ac profecto recte Vir doctus sensit hoc iocandi genus a parabaseos gravitate abhorrere, neque tamen coniectura locus temptandus erat; optime enim singularis numerus *τῷ σῷ λόγῳ* in oratione ad coronam facta expeditur, si non quendam e multis sed unumquemque spectatorum poetam alloqui voluisse statueris, cui dicendi generi simillimum est, quod apud Ps. Xenoph. de Rep. Ath. legimus I, 8 *ὃ γὰρ σὺ νομίζεις,* I, 10 *ὁ ἐμὸς δοῦλος σὲ δέδοικε.* Hancce querellam Eupolin propter cladem ab Aristophane aemulo 'peregrino' acceptam fudisse Bergkius de Rel. Com. Att. p. 365 recte vidit negavitque Phrynichum alias eadem peregrinitatis macula adspersum (cf. schol. Ran. 13) hic notari. Ipsa calumnia cum ex lite Aristophani a Cleone intenta originem traxerit, dubium non est, quin haud multo post simultate inter utrumque comicum recens orta in scena pronuntiata sit, cui rei consentit quod Eupolis Ol. LXXXVIII — LXXXIX saepius infelici eventu cum aemulo contendit.

Frequentissimus hic erat mos comicorum, ut clade accepta spectatores proxima in fabula vituperarent peterentque, ut sibi in posterum magis faverent, cuius nobilissimum exemplum exstat in Vesparum parabasi. Hac de parabasi difficillima neque intellegenda sine subtili veteris comoediae cognitione quamvis U. d. Wilamowitzius Moellendorf. optime meritus sit ingeniosa sua dissertatione Observ. crit. in com. Graec. p. 40 seq., restant tamen quaedam non indigna, quae iterum in crisin vocentur.

Aristophanis verba sunt haec, vs. 1015—1028:

1015 *νῦν αὖτε λεῴ προσέχετε τὸν νοῦν, εἴπερ καθαρόν τι φιλεῖτε.*
μέμψασθαι γὰρ τοῖσι θεαταῖς ὁ ποιητὴς νῦν ἐπιθυμεῖ.
ἀδικεῖσθαι γάρ φησιν πρότερος πόλλ' αὐτοὺς εὖ πεποιηκώς,

τὰ μὲν οὐ φανερῶς ἀλλ' ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς,
μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν,
1020 εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι.
μετὰ τοῦτο δὲ καὶ φανερῶς ἤδη κινδυνεύων καθ' ἑαυτὸν,
οὐκ ἀλλοτρίων ἀλλ' οἰκείων Μουσῶν στόμαθ' ἡνιοχήσας.
ἀρθεὶς δὲ μέγας καὶ τιμηθεὶς ὡς οὐδεὶς πώποτε ἐν ὑμῖν,
οὐκ ἐκτελέσαι φησὶν ἐπαρθεὶς οὐδ' ὀγκῶσαι τὸ φρόνημα;
1025 οὐδὲ παλαίστρας περικωμάζειν πειρῶν· οὐδ' εἴτις ἐραστὴς
κωμῳδεῖσθαι παιδίχ' ἑαυτοῦ μισῶν ἔσπευδε πρὸς αὐτὸν,
οὐδενὶ πώποτέ φησι πιθέσθαι, γνώμην τιν' ἔχων ἐπιεικῆ,
ἵνα τὰς Μούσας αἷσιν χρῆται μὴ προαγωγοὺς ἀποφήνῃ.

Versu 1018 poeta non sine obscaena imagine confitetur sese non palam i. e. suo nomine fabulas egisse sed aliis poetis clam succurrisse i. e. aliis poetis velut Callistrato fabulas suas agendas dedisse. sic enim ut interpretemur, suadet et ipsius imaginis ratio et ea quae opponuntur *φανερῶς ἤδη* seq., quamquam sunt, qui explicent quasi Aristophanes in fabulis componendis amicis se poetis succurisse dicat.

ad. vs. 1022 Droysenus recte adnotat poetam verbis *οὐκ ἀλλοτρίων* seq. sese contra Eupolidis notum crimen tecte defendere; quae deinde sequuntur mirum in modum cum Pacis parabasi concinunt:

vs. 762: καὶ γὰρ πρότερον πράξας κατὰ νοῦν οὐχὶ παλαίστρας περινοστῶν
παῖδας ἐπείρων, ἀλλ' ἀράμενος τὴν σκευὴν εὐθὺς ἐχώρουν
παῦρ' ἀνιάσας, πόλλ' εὐφράνας, πάντα παρασχὼν τὰ δέοντα.

Unam utroque loco rem respici vel primo obtutu apparet neque minus certum est aemulum quendam ab Aristophane inique tangi, quod victoria theatrali abusus sit ad puerorum amores sibi conciliandos. Cetera scholia edocent ad Vesp. 1025 *οὐδὲ παλαίστρας: οὐδὲ εἰ προσῆλθεν αὐτῷ τις ἔξωλης, ἀναστραφεὶς καὶ δεόμενος μὴ κωμῳδεῖσθαι ἐμαλάττετο οὐδὲ ἐπείθετο. Ἄλλως. δι' Εὔπολιν. ἐν Αὐτολύκῳ δὲ τοιαῦτα φησί. τοῦτο δὲ καὶ ἐν Εἰρήνῃ οὕτω· περιήει τὰς παλαίστρας σεμνυνόμενος καὶ τοῖς παισὶν ἑαυτὸν δῆλον ποιῶν τῆς νίκης*

ἕνεκα (totum schol. om. R.; τοῦτο-τὰς om V.) cf. schol. ad Pac, vs. 763: παῖδας ἐπείρων· ὡς τῶν ἄλλων ἐξιόντων καὶ δεομένων καὶ νέων καὶ τῶν παίδων εἰς τὸ σπουδάζειν αὐτοῖς, ἵνα νικήσωσιν. εἰώθασι δὲ καὶ παιδεραστεῖν ἁβρυνόμενοι τῇ νίκῃ. αἰνίττεται δὲ εἰς Εὔπολιν καὶ τοὺς περὶ αὐτὸν, ὡς παίδων ἐρῶντας καὶ παλαίστρας περιερχομένους.

Haec bonae notae testimonia cave ita accipias, quasi Aristophanes in Vesparum et Pacis versibus contra convicia ab Eupoli in Autolyco in se conjecta se defendat, qua de re Wilomowitzius recte monuit miram esse defensionem, si adversario te accusanti, nullis causis allatis responderes tale quidquam te non commisisse. neque solum mire sed perinepte esset illud in duabus deinceps fabulis repetitum. Praeterea Meinekii acumine jam pridem confirmatum est Eupolidis Autolycum post Vespas demum actam esse; neque Wilamowitzium effugit in Vesparum scholio prorsus turbato illa τοῦτο δὲ καὶ ἐν Εἰρήνῃ seq. ad versum 1025 referenda esse, eisque quae antecedunt in scholiis versus subsequentes illustrari. nam quaecunque viri docti excogitaverunt, ut scholion illud περιῄει seq. vinculis includerent metricis, nunquam sano lectori pro Eupolidis fragmento venditabunt, quae grammatici et Aristophanis locis supra allatis commenti sunt semperquae hoc scholion documento erit, quanta neglegentia adnotationes marginales prius multo uberiores a pigris scribis nulla doctrina adhibita contractae sint. Rectissime igitur Vir doctus statuit et in Vespis et in Pace Eupolin ab aemulo irrideri, quod splendidae victoriae laudem inhonestis artibus inquinavisset.

Jam accedimus ad alterum enuntiatum οὐδ' εἴτις ἐραστής seq. quae verba etiamsi Vir doctus mea quidem sententia non feliciter expedivit, tamen magnas quae insunt difficultates primus detexit. Negat poeta, si quis amator ad se properasset indigne ferens amasium suum perstringi, illi se unquam morem gessisse idque consilio usum honesto, ne Musas, quibuscum consuescat, lenas redderet. Quae confessio cum ipsius poetae fabulis confirmari non videretur — nusquam Aristophanes in pueros delicatos invehitur — Bentlejus sententiam plane mutavit scribendo φησ' ἐπιθέσθαι i. e. si quando amator a me petivit, ut infidum suum amasium perstringerem, nunquam puerum invasi. at displicet Viri Summi commentum; quomodo enim probabile est ipsum amatorem delicias suas incusasse et ut laederentur postulasse, quod ipsi amatori ignominiam tulisset. Qua ex difficultate Wilamovitzius l. l. p. 45

exitum quaesivit hac fere lectionis traditae interpretatione: fateor me pueros delicatos non perstrinxisse, quamquam non amatori obtemperans, id quod Eupolis mihi nuper obiecit, sed *γνώμην τιν' ἔχων ἐπιεικῆ*, innata quadam animi virtute, ne Musis meis lenocinium imputarem. Hanc sententiam per se fortasse non improbandam ex Aristophanis versibus traditis exprimi posse utique nego; mira enim esset breviloquentia magisque sermoni Pythiae in tripode sudantis idonea quam Aristophani contra aemuli crimen se defendentis. Accedit quod Vir doctus cum talia Eupolin Aristophani in amicis obiecisse sibi persuaserit, scholio *δι' Εὔπολιν· ἐν Αὐτολύκῳ δὲ τοιαῦτα φησί* deletis verbis *ἐν Αὐτολύκῳ* audacissima ratione *Amicorum* nomen intrudit. Equidem unam modo viam video, qua ex hoc labyrintho feramur. Mordicitus enim tenendum est Aristophanem uno tenore convicia in aemulum cumulare et ne hic quidem iniurias antea acceptas repellere, sed ipsum stimulum in adversarium immittere. Nubes errorum mea quidem sententia ex contextus corruptela exstitit, quam si sustuleris, omnia bene current. Pro *οὐδενὶ* facillima mutatione *οὐκ ἂν* restituendum est, ut haec fere sententia oriatur: si unquam ad me amator properasset, id quod mihi accidere non potest, Eupolidi accidit, obtestans ut parcerem amasio, equidem certe non obtemperassem, id quod de Eupoli constat. Pronuntiat igitur Aristophanes non quod fecit quondam aut omisit, sed quid fecisset, si in Eupolidis condicione fuisset.

Haec mea conjectura vide quantopere optimorum codicum R et V lectione *ἔσπευσε* (vulgo *ἔσπευδε*) commendetur, quae adhuc a viris doctis neglecta nunc suum locum obtinet.

Videamus quid ex loco ita emendato ad Aristophanis cum Eupoli simultatem enarrandam efficiatur.

Eupolis pueros perstringere solitus paullo ante Vespas actam subito hoc more destiterat ab amatore emollitus, ut Aristophanes contendit, sive ignominiose finxit, sive vagum rumorem secutus. Ex pristino amasiorum osore, addit Aristophanes, Eupolin subito amatorem exstitisse, quem non puduerit, victoria ad incestum puerorum amorem comparandum abuti. His calumniis quid Eupolis responderit nescimus; eum non tacuisse vel inde apparet, quod in Pace eadem fere sugillatio invenitur. Respondit Eupolis iterum in Autolyco Ol. LXXXIX, 4 acta, imprimis ad Vesparum opprobrium vs. 1026 respiciens. — neque enim est, quod de auctoritate testimonii dubitetur —, docuitque spectatores ipso fabulae argu-

mento, quam injuste aemulus sibi quondam objecisset emollitum ab amatore se pueris pepercisse cf. Kock. p. 271.

Quae insequuntur in Vesparum parabasi cum magis ad Aristophanis propriam laudem quam ad aemulorum simultates pertineant, hic praetermitto exceptis vs. 1048—1050:

> *τοῦτο μὲν οὖν ἔσθ' ὑμῖν αἰσχρὸν τοῖς μὴ γνοῦσιν παραχρῆμα,*
> *ὁ δὲ ποιητὴς οὐδὲν χείρων παρὰ τοῖσι σοφοῖς νενόμισται,*
> *εἰ παρελαύνων τοὺς ἀντιπάλους τὴν ἐπίνοιαν ξυνέτριψεν.*

Spectant haec sine dubio ad cladem superioribus Dionysiis acceptam quae toties querendi materiam poetae praebuit. aemuli victores videlicet sunt Cratinus et Amipsias, quos victoriam quidem neque tamen intellegentium aestimationem sibi eripuisse poeta se consolatur.

In hariolatione scholiastae ad vers. 1068 *γῆρας εἶναι κρεῖττον*: *διαβάλλει τοὺς νέους ὁ ποιητὴς μὴ δυναμένους κατὰ τοὺς ἀρχαίους κωμῳδεῖν* nihil moror, sed pergo in interpretandis locis quibus Aristophanes aemulos revera tangit. In his numero *Vesparum* versus 54—56:

> *φέρε νυν κατείπω τοῖς θεαταῖς τὸν λόγον*
> 55 *ὀλίγ' ἄτθ' ὑπειπὼν πρότερον αὐτοῖσιν ταδί,*
> *μηδὲν παρ' ἡμῶν προσδοκᾶν λίαν μέγα,*
> *μηδ' αὖ γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον.*
> *ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ' οὔτε κάρυ' ἐκ φορμίδος*
> *δούλω διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις,*
> 60 *οὔθ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος,*
> *οὐδ' αὖθις ἐνασελγαινόμενος Εὐριπίδης·*
> *οὐδ' εἰ Κλέων γ' ἔλαμψε τῆς τύχης χάριν,*
> *αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.*
> *ἀλλ' ἔστιν ἡμῖν λογίδιον γνώμην ἔχον* seq.

de quibus Wilamowitzius in Obs. crit. p. 1 seq. cf. Herm. IX p. 330 ingeniosius quam verius disputasse mihi videtur.

In oratione servi *ἀπροσδοκήτως* ad spectatores loquentis duo fabularum genera discernuntur, unum grandi spiritu elatum, alterum scurriles joci Megarici; neque hoc neque illud spectatoribus se praebere poeta profitetur, sed *λογίδιον γνώμην ἔχον* i. e. sinceram quandam simplicemque fabellam. Utriusque generis versibus 58—63 singula exempla afferri a viris doctis jam diu

conceditur; id solum ambigitur, num omnia illa argumenta, duo servi nuces spargentes et Hercules vorax et Euripides et Cleo ad proprias Aristophanis fabulas spectent, an poeta in prioribus aemulorum fabulas, in sequentibus 61—62 suas intellexerit. Priorem sententiam arripiens Wilomowitzius l. l. non sine acumine Aristophanis fabulas huc referendas indagavit tribuitque priori generi Megarico Agricolas et Dramata vel Centaurum, alteri sublimiori Acharnenses et Equites. sed haec interpretatio in magnas difficultates incurrat necesse est; quibus enim rationibus probabitur Aristophanem sese alias scurrilia et contempta argumenta tractasse de se ipso confessum esse. porro duos servos nuces spargentes summam fuisse Agricolarum contendi quidem neque tamen argumentis probari potest. item interpretatio scholii ad vs. 60 incertissima est, quoniam verba *ἐν τοῖς πρὸ τούτου δεδιδαγμένοις δράμασι* rectius de compluribus incertis fabulis quam de una illa a Viro docto proposita *Δράματα ἢ Κένταυρος* intelleguntur. Id solum recte Vir doctus contendisse mihi videtur singulis versibus singulas subintellegi fabulas; ceterum aliam interpretandi viam ineo. Etenim aemuli cujusdam certas fabulas derideri persuasum habeo. Ne exspectent, monet audientes, fabulam sublimi spiritu elatam, quae in Euripide traducendo aut in Cleone contundendo consistat, neve tamen ineptos jocos Megaricos quales servi nuces spargentes et Hercules esuriens ab aemulo nuper in scenam producti judicandi sint, sed singularem quandam fabulam se spectandam proponere. Ita locum esse intellegendum ipse poeta haud obscure indicavit in alienis argumentis particulis *οὔτε-οὔτε* usus, cum in suis et honestis enarrandis *οὐδὲ αὖθις-οὐδὲ αὖθις* posuerit. Hasce ineptias Megaricas Aristophanem imprimis Eupolidi imputasse vel inde apparet, quod tota fere Vesparum fabula recenti hujus aemuli odio ferveat et confirmatur simili crimine in *Pacis* parabasi, quod cum ad rem propositam pertineat non sine fructu interpretaturum me esse spero.

Pac. vers. 734 seq.

> *χρῆν μὲν τύπτειν τοὺς ῥαβδούχους, εἴ τις κωμῳδοποιητὴς*
> 735 *αὑτὸν ἐπῄνει πρὸς τὸ θέατρον παραβὰς ἐν τοῖς ἀναπαίστοις·*
> *εἰ δ' οὖν εἰκός τινα τιμῆσαι θύγατερ Διός, ὅστις ἄριστος*

κωμῳδοδιδάσκαλος ἀνθρώπων καὶ κλεινότατος γεγένηται,
ἄξιος εἶναι φησ' εὐλογίας μεγάλης ὁ διδάσκαλος ἡμῶν.
πρῶτον μὲν γὰρ τοὺς ἀντιπάλους μόνος ἀνθρώπων κατέπαυσεν
740 ἐς τὰ ῥάκια σκώπτοντας ἀεὶ καὶ τοῖς φθερσὶν πολεμοῦντας
741 τούς θ'Ἡρακλέας τοὺς μάττοντας καὶ τοὺς πεινῶντας ἐκείνους
742 τοὺς φεύγοντας κἀξαπατῶντας καὶ τυπτομένους ἐπίτηδες
743 ἐξήλασ' ἀτιμώσας πρῶτος καὶ τοὺς δούλους παρέλυσεν
744 οὓς ἐξῆγον κλάοντας ἀεὶ καὶ τούτους εἵνεκα τουδί,
745 ἵν' ὁ σύνδουλος σκώψας αὐτοῦ τὰς πληγὰς εἶτ' ἀνέροιτο
ὦ κακόδαιμον τί τὸ δέρμ' ἔπαθες; μῶν ὑστριχὶς εἰσέβαλέν σοι;

Versus 734 sententiam scholiasta recte intellexit (ad 733. Dübn.) *ὁ δὲ νοῦς, ἐχρῆν μὲν, εἴτις κομῳδοποιητὴς ἑαυτὸν ἐπῄνει παραβάσει χρώμενος τοὺς ῥαβδούχους ἐκείνους τύπτειν αὐτὸν* (*αὐτοῦ* R) *ὡς ἀπρεπές τι μεταχειριζόμενον*, quo in scholio male edito *ἐκεῖνον* sc. aemulum poetam scribendum esse et R. lectionem *αὐτοῦ* i. e. ibi, in theatro retinendum esse, vix est quod attentum lectorem moneam.

Sequuntur versus per longum saeculorum decursum caligine offusi 739—48. In versu 740 *πολεμοῦντας* eodem atque *μάχεσθαι* versu 757 sensu intellegendum esse, ut Aristophanes aemulorum cum pediculis dimicationi suam cum Hercule minaci pugnam opponat, Wilamowitzius recte invenit. (Herm. VII p. 154.) In ceteris vero quae ad hunc Aristophanis locum adnotavit in eundem atque editores errorem incurrit. In codicibus cum is ordo quo versus exscripsimus exstet, Bentleius vir de Aristophane emendando optime meritus, ut hiatum inter vs. 741—742 tolleret vs. 742 *τοὺς Φρυνώνδας* ex lexicographis proposuit, qua in coniectura Summi Viri divinum ingenium non agnosco. Post hunc Bergkius, id quod facillimum videbatur, transmutatis versibus 743 et 744 *τοὺς φεύγοντας κἀξαπατῶντας* ad servos vapulantes rettulit, quo tamen remedio hoc de servis dictum adeo onerari Meinekius sensit, ut praeeunte Hamakero Mnemos. V p. 147 versu

745 deleto[1]) sententiam aliqua ex parte levaret. at hoc severo iudicio vir doctus Aristophani suo male consuluit. etenim verba *οὓς ἐξῆγον κλάοντας* sunt prorsus necessaria, ut conservus qui fratrem cum verberaretur non viderit, sed ex lamentando coniecerit, apte quaerat *μῶν ὑστριχίς εἰσέβαλέν σοι*; ceterum vocem *κλάοντας* iam pridem in Aristophanis libris lectam esse ex ipso scholio apparet, quod brevi excutiemus. Iam vides locum putidum magis fuco obductum esse quam apta medela sanatum, et tantum abesse ut librarii addendo peccaverint, ut in contrarium errasse videantur. lacuna enim ut post vs. 741 ante 742 ponatur monet et sententiarum hiatus et scholium metricum vs. 728 adscriptum; *ἔστι τοίνυν τὸ μὲν κομμάτιον στίχων ἀναπαιστικῶν τετραμέτρων καταληκτικῶν έ* (vs. 730—735) *τὸ δὲ μακρὸν στίχων ὁμοίων λγ́*, quod ex bono Heliodori commentario stulte et neglegenter excerptum esse me non fugit; nam anapaestorum numerus falso ad *μακρὸν* refertur, cuius numerus omnino excidit. at ipsi numeri aliquid valent ad meam sententiam probandam. Heliodorus 33 huius particulae versus noverat, cum ex nostris libris solum 31 exhibeantur; en habes lacunam duorum versuum a me positam.

Plura fortasse quispiam ex scholiis satis lautae doctrinae colligat quae in suas particulas dissecta hic appono

I *αἰνίττεται δὲ ταῦτα εἰς Εὔπολιν, ὃς ἐποίησεν Ἡρακλέα πεινῶντα καὶ Διόνυσον δειλὸν καὶ Δία μοιχὸν καὶ δοῦλον κλαίοντα. τινὲς δέ φασιν εἰς Κρατῖνον αἰνίττεσθαι, ὡς τοιαῦτα ποιοῦντα δράματα.*

II

ἐπεπόλασε δὲ ταῦτα τότε τὰ λήμματα καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Ἀριστοφάνης ὡς γαστρίμαργον τὸν Ἡρακλέα κωμῳδεῖ καὶ ἐν Ὀρ-

III

ἐπεπόλαζε γὰρ τότε ταῦτα. Ἡρακλῆς πεινῶν καὶ Διόνυσος δειλὸς καὶ μοιχὸς Ζεὺς, ὥστε καὶ αὐτοὺς δοκεῖν ἄχθεσθαι.

---

[1]) Difficillima est quaestio de interpolationibus Aristophanis fabulis insertis, in quibus statuendis editores nimios fuisse iure contendo. Certe additamenta malis artibus et interpolandi consilio conscripta nusquam inveniuntur, quamvis sint qui aliter doceant. Saepius lectiones genuinae glossis marginalibus quas dicunt cesserunt. Latius patet tertium interpolationum genus inde exortum, quod complures fabulae recensiones in unum coaluerunt, id quod maxime in Nubes et Ranas valet. Omnino in hac quaestione tenendum est aliam fuisse condicionem tragoediarum usu tritarum, aliam comoediarum in bibliothecis abditarum.

νισι καὶ ἐν τοῖς Σφηξὶ περὶ τούτων φησί τοῦ τε Ἡρακλέους καὶ τοῦ δούλου. | Κρατῖνος ὑπὸ δ' Ἡρακλέους πεινῶντας ἄγει καὶ σκώπτοντας ταῦτα οὐ βοιωτόν ἐστι. περὶ δὲ τῶν δούλων καὶ ἐν Βατράχοις φησίν.

In particula I quattuor contempta enumerantur argumenta, quorum primo respondet vs. 742, cum ultimum versu 744 sq. illustretur, Bacchus vero timidus et Jupiter moechus nihil habent quo referantur.

Hac de causa Robertus (ap. Wilamow. l. l.) suspicabatur et Bacchi et Jovis mentionem apud Aristophanem intercidisse et ipse quondam in eandem suspicionem perveni. at quam incerta sit haec ratio, Wilamowitz. in dissert l. l. demonstravit, neque enim ex Aristophanis loco quattuor illa argumenta desumpta esse ostendit, sed ex veteri ad Aristophanem illustrandum commentario aut exscripta esse aut per memoriam repetita.

His praemissis videamus quid Aristophanes de se glorietur. abstinuisse sese a vilibus argumentis aemulorum, neque enim Herculem esurientem in scenam se traxisse — sequitur lacuna — fugientes vero et fraudantes et vapulantes se indignantem primum expulisse, denique servorum verberibus aut lamentis spectatores se non vexavisse. Ex quibus extremum illud de servorum castigatione dictum ita comparatum est, ut ad certam aemuli cuiusdam fabulam respiciat, quem Eupolin fuisse scholio edocemur. Cetera utrum in eundem adversarium immissa sint an in universum de aemulis dicta, quoniam ne ipsa quidem opprobria vs. 741—742 integra exstant, discerni non potest, neque veteres grammatici compertum habebant, cum inter Eupolin et Cratinum distraherentur. ceterum totum ludendi genus ad Vesparum vs. 58 sq. supra excussos proxime accedit, id quod schol. II recte monet.

Restat ut de merito ab Aristophane usurpato iudicem, qua in re nimium poetam fuisse vix est quod moneam. certe haec argumenta in primordiis artis comicae maiorem locum habebant, neque tamen ab Aristophane plane a scena remota sunt neque omnino furca expelli poterant, quoniam populo *Κεχηναίων* talia imprimis placebant; quin ipse Aristophanes, cum prorsus abstinere nollet, tales scenas summo cum lepore suis fabulis inserebat. Certe Noster magna ex parte sua virtute effecerat, ut comoedia ab his tritis argumentis ex mytho sumptis ad res publicas et principes civitatis perstringendos vocaretur, neque Pacis parabasis pro vana

grandiloquentia habenda est, quamquam multum abest, ut Cratino Eupolidi ceteris comicis reipublicae denique Atheniensium quae nullis tum legibus comoediae licentiam circumscripserit debitam laudem denegem.

Cratinum et Eupolin non minus quam Aristophanem aemulorum fabulas et vilia argumenta in ridiculum detorsisse, luculentis exemplis a grammaticis probatur. cf. schol. Pac. 740 extr. *Κρατῖνος. ὑπὸ δ' Ἡρακλέους πεινῶντας ἄγει καὶ σκώπτοντας ταῦτα οὐ βοιωτόν ἐστί.* sic codd. R. *ἄγε ταῦτ καὶ σκώπτοντος* V *βιωτον* V (Kock. p. 102) quod neque Bergkius Rel. Com. Att. 287 neque Wilamowitz. Obs. crit. 38 neque Kockius p. 103 recte restituisse mihi videntur. Omnino scholion est corruptius, quam ut certa ratione sanari possit, at de sententia coniecturam facere licet, quam hanc fuisse ex Aristophanis loci similitudine mihi persuasi: Hercules esurientes semper in scenam producere (*ἄγειν*) *τοῦτ' οὐ σκώπτοντος* (cf. lect. V) *ἀλλὰ βοιώτιόν ἐστιν*, id est non cavillantis sed Boeotium i. e. stulti et agrestis hominis, quae sententia mirum in modum confirmatur eodem vocis *βοιώτιος* usu apud Lucian. Iuppiter trag. p. 679. *ἄγροικον εἴρηκας καὶ δεινῶς βοιώτιον.*

Iam accedere possumus ad Nubium parabasin interpretandam aemulorum conviciis refertam, qua in re a temporum ratione nobis proposita non recedimus. Constat enim Nubium parabaseos maiorem partem non ex priore quae dicitur recensione Ol. LXXXIX, 1 exstare sed paucos post annos a poeta fabulam retractante compositam esse. In exordio anapaestorum poeta queritur, quod Athenienses sapientissimam et pulcherrimam suam fabulam nuper repudiaverint molestisque viris palmam tribuerint; ita enim explicandum censeo illud vs. 524:

εἶτ' ἀνεχώρουν ὑπ' ἀνδρῶν φορτικῶν ἡττηθεὶς οὐκ ἄξιος ὤν

ut aemuli victores Cratinus et Amipsias subintellegantur (cf. Arg. Nub. 5), quamvis aliam rationem scholia doceant. schol. R ad vs. 524 *ὑπ' ἀνδρῶν· τῶν κριτῶν. τοῦτο ἐπὶ τῶν προτέρων Νεφελῶν.* Gl. Victor. *βασκάνων, κριτῶν* et quamvis etiam nunc sint qui Cratinum a poeta plurimi aestimatum unquam *φορτικός* appellatum esse negent. at non cogitarunt vocem *ἡττᾶσθαι* proprio sensu de eo dici qui in certamine adversario succumbit, non de eo qui iudicum sententia cedit. quo sensu vero illud convicium *φορτικὸς* accipiendum sit, docet Vesp. vs. 66:

κωμῳδίας δὲ φορτικῆς σοφώτερον.

ceterum equidem non intellego, cur a poeta irato, quod immerito repulsam tulisset, hoc aemulis maledicendi genus abiudicandum sit.

Pergo in Aristophanis versibus ad comicorum simultatem spectantibus proponendis. vs. 537:

ὡς δὲ σώφρων ἐστὶ φύσει σκέψασθ'. ἥτις πρῶτα μὲν
οὐδὲν ἦλθε ῥαψαμένη σκυτίον καθειμένον
ἐρυθρὸν ἐξ ἄκρου παχὺ, τοῖς παιδίοις ἵν' ᾖ γέλως.
540 *οὐδ' ἔσκωψε τοὺς φαλακροὺς, οὐδὲ κόρδαχ' εἵλκυσεν.*
οὐδὲ πρεσβύτης ὁ λέγων τἄπη τῇ βακτηρίᾳ
τύπτει τὸν παρόντ' ἀφανίζων πονηρὰ σκώμματα
οὐδ' εἰςῇξε δᾷδας ἔχουσ', οὐδ' ἰοὺ ἰοὺ βοᾷ,
ἀλλ' αὑτῇ καὶ τοῖς ἔπεσιν πιστεύουσ' ἐλήλυθεν,
545 *κἀγὼ μὲν τοιοῦτος ἀνὴρ ὢν ποιητὴς οὐ κομῶ*
οὐδ' ὑμᾶς ζητῶ 'ξαπατᾶν δὶς καὶ τρὶς ταὔτ' εἰςάγων,
ἀλλ' ἀεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι,
οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας καὶ πάσας δεξιάς.

Quosnam aemulos poeta his versibus inique tangat ex scholiorum vasta mole eruamus, neque enim in universum haec de comicis dicta esse sed certos poetas propter res haud ita pridem in scena actas exagitari vel primo obtutu apparet. Versu 540 Eupolin subintellegi scholiasta adnotat, sive ex uberiore fonte desumpsit sive ex Eupolidis Baptarum noto fragmento commentus est. cf. schol. Nub. 554: *Εὔπολις δὲ ἐν τοῖς Βάπταις τοὐναντίον φησί, ὅτι συνεποίησεν Ἀριστοφάνει τοὺς Ἱππεῖς· λέγει δὲ τὴν τελευταίαν παράβασιν· φησὶ δέ· κἀκείνους τοὺς Ἱππέας ξυνεποίησα τῷ φαλακρῷ τούτῳ κἀδωρησάμην.*

Certe si Aristophanes revera calvitie praeditus erat neque Eupolis neque turba comicorum ab hac cavillandi occasione abstinuerat, quod Noster adeo non aegre tulerat ut in Pacis vs. 765 sq. ipse suam calvitiem lepidissime perstringeret.

Versum 541 schol. RV adnotat aut in Eupolin aut in Hermippum comicum dictum esse, cum gloss. Cant. alium quendam poetam comicum Simermona tangi affirmet; quam rem dubiam me ad liquidum perducturum esse spero. Negat scilicet Aristophanes senem primas partes agentem (*τἄπηλέγειν* = *τὰ πρῶτα τῶν ἐπῶνλέγειν*. cf. Strattis fr. l. K.) se in scenam produxisse, qui ut iocorum ineptias celaret, adstantem verberasset, id quod Hermonem Hermippi actorem commisisse et ex schol. ad 542 et ex adnotatione Brunck. suo de loco 542 ad vs. 539 remota constat. apparet enim Simermona

ex Hermone corruptum esse, poetam vero comicum Simermona somnio nescio cuius grammatici originem debere.

Erant qui his versibus altero scholio ad vs. 541 *ὡς Εὔπολις ἐν τοῖς Προσπαλτίοις* lucem afferri censerent. Eupolidis enim fragmentum sub eodem Prospaltiorum titulo a schol. ad Vesp. 58 et ab Aspasio Aristot. Eth. Nic. 46 servatum ad hosce Nubium versus 541—542 rettulerunt. Schol. Vesp. 58 *ὡς τῶν Μεγαρέων γελώντων καὶ ἄλλως φορτικῶς γελοιαζόντων. Εὔπολις Προσπαλτίοις· τὸ σκῶμμ' ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικὸν σφόδρα.* Aspasius l. l. (Kock. p. 324) *σύνηθες ἐν κωμῳδίᾳ παραπετάσματα δέρρεις ποιεῖν, οὐ πορφυρίδας. Μυρτίλος ἐν Τιτανόπασι,* (*Εὔπολις Προσπαλτίοις* ex l. s. m. addendum).

> *τὸ δεινῆς ἀκούεις; Ἡράκλεις τοῦτ' ἔστι σοι*
> *τὸ σκῶμμ' ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικὸν καὶ σφόδρα*
> *ψυχρὸν· γελᾷς, ὡς ὁρᾷς, τὰ παιδία.*

At recte Vahlenus in schola monuit non ad vs. 541 sed ad 538 39 hanc scholiastae doctrinam referendam esse. Ac profecto, mirum in modum concinit illud Eupolidis dicterium cum Aristophanis verbis *οὐδὲ ἦλθε* sq. ut fieri non possit, quin alter alterius fabulam respexerit.

Eupolis ni fallor ab aemulo Aristophane in Nubium parabasi tecte irridetur propter hunc Prospaltiorum locum, ubi nescio quis cum ineptos iocos non sine obscaeno phalli lusu fudisset, ab altero castigabatur; ipsum Eupolidis versum 3 perquam corruptum fortasse ex Aristoph. convicio eodem spectante ita emendare licet.

> *ψυχρὸν· γέλως τόδ' ὡς ὁρᾷς τοῖς παιδίοις,*

cui aptissime responderet illud

> *τοῖς παιδίοις ἵν' ᾖ γέλως.*

Quo anno Eupolidis Prospaltii nimio phallo et obscaenis gestibus pueros delectaverit, Aristophani autem stomachum moverit, non constat, cum haec Nubium parabasis a poeta fabulam retractante composita sit. Ante Ol. LXXXIX, 2 Eupolidis fabula ponenda esset, si argumentum Nubium V fide dignum esset: *διόπερ Ἀριστοφάνης διαρριφθεὶς παραλόγως ᾠήθη δεῖν ἀναδιδάξαι τὰς δευτέρας καὶ ἀπομέμφεσθαι τὸ θέατρον. ἀποτυχὼν δὲ πολὺ μᾶλλον καὶ ἐν τοῖς ἔπειτα οὐκέτι τὴν διασκευὴν εἰσήγαγεν. αἱ δὲ δεύτεραι Νεφέλαι ἐπὶ Ἀμεινίου ἄρχοντος.* sed iam pridem viri docti intellexerunt huius argumenti auctorem misere errasse neque unquam Nubes alteram in scenam prodire potuisse.

Cetera quae insunt huic parabasi aemulorum convicia ex parte iam supra tractavimus, neque omittemus, si ad Aristophanis cum Phrynicho, Hermippo, Platone simultates pervenerimus.

In Nub. II quaecunque Aristophanes atrociter in aemulos dixerit, delituisse consentaneum est, donec poeta mortuo fabula rudis et imperfecta in lucem prodiret. Certe Eupolis si comperisset, crimina aucta et cumulata in auctorem reiecisset. Vellem equidem Autolycum fabulam fatum nobis servasset, quippe ex qua fabula Eupolidis ingenium in conviciando acerrimum penitus perspiceretur. Aristophanem aemulum imprimis ibi exagitatum esse testatur et schol. ad Vesp. 1025 a nobis supra excussum et schol. Plat. p. 331 Bekk. (Kock. p. 271) *κωμῳδεῖται δὲ (Ἀριστοφάνης) ὅτι καὶ τὸ τῆς Εἰρήνης κολοσσικὸν ἐξῆρεν ἄγαλμα. Εὔπολις Αὐτολύκῳ* qui iocus etiam a Platone comico in ‚Victoriis‘ usurpatus ad statuam Pacis in cognomine fabula e terra effossam spectat. Et tertium locum Autolyci meo fortasse iure ad hanc nobilem simultatem rettuli, si quidem contigit, ut fragmentum ab Erotiano 53, 9 servatum recte intellegerem. Kock. p. 270 *Ἐπίθερσις δ'ἐν β' τῶν λέξεων ἄμβωνά φησι χεῖλος εἶναι σκεύους καὶ τῆς ἀσπίδος τὸ πρὸς αὐτῇ τῇ ἴτυι*

> *Ἐπὶ καινοτέρας ἰδέας ἀσεβῶν βίον, ὦ μοχθηρός, ἔτριβες*
> *πόσῳ* (*πῶς ὦ* Dind) *πολλῶν ἤδη λοπάδων τοὺς ἄμβωνας*
> *περιλείξας.*

quo de fragmento perquam corrupto hoc pro certo cum Kockio contenderim non inter duos homines colloquentes versus distribuendos esse. Coniecit Vir doctus Ariphradem quendam compellari cui novum illud artificium *τὸ περιλείχειν τοὺς ἄμβωνας* sc. *τῶν αἰδοίων* crimini detur. Cf. Equit. 1283. Vesp. 1282. Pac. 844. At non necesse est sensu obscaeno accipiatur, si ponamus Aristophanem, qui *καινὰς ἰδέας* se proferre toties glorietur, ab aemulo irato exagitari, quod non dubitaverit, alienos catinos delambere i. e. aliorum inventa in suum commodum convertere. Quale convicium suum habet locum in parabasi aemuli criminationibus conferta; Scribamus igitur

> *Ἐπὶ καινοτέρας ἰδέας ἀσεβῶν βίον ὡς μοχθηρὸν ἔτριβεν*
> *πόσῳ † πολλῶν ἤδη λοπάδων τοὺς ἄμβωνας περιλείξας.*

et referamus ad nobilem comicorum simultatem paullo post Equites actam exortam; id quod ipse qui fragmentum citavit grammaticus confirmare videtur; scripsit enim *Ἀριστοφάνης ὁ κωμικὸς. ἐν Αὐτολύκῳ*

errore facillime expediendo, si in fonte unde hausit et Eupolin criminis auctorem et Aristophanem ad quem pertinebat nominatum invenerat. Incertam esse hanc rationem si quis contenderit, equidem non pugnabo, at fortasse non prorsus spernenda est in hac quaestione, in qua firmis praesidiis destituti ad coniecturam et suspicionem saepius refugiamus necesse est. Huc eodem cadit Fritzschii quaedam suspicio de Aristophanis Anagyri versu ap. Bekker Anec. 425, 20. Suid v. ἀπλήγιος Kock. p. 405:

ἐκ δὲ τῆς ἐμῆς χλανίδος τρεῖς ἀπληγίδας ποιῶν

qua similitudine Aristophanes Eupolidi crimini dare videbatur, quod ex una sua fabula tres fecerit, cogitabatque Vir doctus de Maricante, Autolyco priore, Aetate aurea ex Equitibus conscriptis. Speciose esse hoc inventum negari nequit; versus enim metro Eupolideo scriptus ex ea parabaseos parte sumptus est, quae proprie in aemulorum simultate versatur. Plura equidem non contenderim neque negaverim de hoc versu suo ex connexu soluto.

Tandem finem faciamus huic capiti quo de Aristophanis cum Eupoli amicitia et simultate egimus. Fontes enim iam initio haud ita large abundantes hic plane exaruerunt. Post Baptas Ol. XCI. 1 actam Eupolis qui antea vix unum annum intermiserat, quin in certamen musicum prodiret, infrequens Musae comicae cultor exstitit, sive pigebat miserae comoediae fortunae Ol. XCI. 2 lege repressae, sive vis atque splendor ingenii quibus antea vigebat exhausta erant.

Aristophanis cum poetis comicis amicitias et simultates enarrans facere non possum, quin paucis exponam, quaenam cum **Philonide** et **Callistrato** condicio Nostro fuerit, qua de re difficillima supersedere possem, si utrumque virum non nisi actores Aristophanis fuisse nonnulli veteres et hujus aetatis viri docti iure contenderent.

Philonidem re vera fabulas fecisse constat et Suidae testimonio *Φιλωνίδης Ἀθηναῖος κωμικὸς ἀρχαῖος πρότερος ἦν γναφεύς, τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἦν Κόθορνοι, Ἀπήνη, Φιλέταιρος* et fragmentis ab Athenaeo et Polluce servatis. Id solum quaeritur, curnam Aristophanes Philonidis et Callistrati opera in agendis fabulis usus sit, qua de re scholiastae nihil nisi ineptias fuderunt cf. ad Nub. 530 schol. RV; schol. 502. Nolo hic omnes virorum doctorum sententias percensere, quas cognoscere licet ex dissertationibus Th. Kockii de Philonide et Callistrato Gub. 1855 Helbig. Quaestiones scenicae Bonn. 1861. E. Meyer. De Aristo-

phanis fabularum commissionibus Berol. 1863, sed quid ipse comicus de se profiteatur proponam; ipse enim pronuntiat in Equitum vs. 512 sq., quid se commoverit, ut non prius chorum ab archonte peteret. Primum se intellexisse artem comicam omnium esse difficillimam, quae paucis amatoribus morem gesserit; deinde mutabiles et ingratos Atheniensium esse animos aliorum poetarum misera fortuna se edoctum esse; in eandem ne ipse incideret veritum tam diu se cunctatum esse honestumque chorum petendi munus aliis concessise, donec ipse viribus corroboratis difficillimo gubernatoris officio fungi potuerit.

Apparet illud *κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ* vs. 544 nihil aliud esse nisi ‚chorum suo nomine petere (vs. 513)‘ eaque similitudine Aristophanem pristinam suam condicionem tangere; cf. Vesp. vs. 1015 sq., in quibus ne illud *ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς* ad similem condicionem referatur, qualem in Equitum fabula Nostro cum Eupoli fuisse vidimus, totius loci ratio atque tenor defendere mihi videtur; immo Philonidis et Callistrati poetarum amicorum officium tangi consentaneum est. cf. schol. Tertius locus eodem respiciens est Nub. vs. 530 sq.

Quibus omnibus ex testimoniis lautissimo ex fonte haustis exaudire mihi videor Aristophanem adulescentulum viris aetate provectis suas fabulas docendas dedisse, quo facilius ab archonte chorum impetraret; periculum enim erat, ne poeta vixdum e pueris egressus a magistratu repulsam laturus esset, si ipse chorum petivisset. Accedit quod adulescens rerum scenicarum imperitus, etiamsi chorum impetrasset, ne ipse quidem docere potuisset. His de causis Aristophanes primas suas fabulas componere satis habebat, cetera poetis amicis mandabat, si quidem haec condicio honesto amicitiae nomine digna est.

Callistratus enim et Philonides Nostro adeo impares erant ingenio, ut intima quaedam familiaritas non facile intercedere posset; neque unquam invidia permoti Aristophani officium denegabant. Philonides ne tum quidem, cum Lenaeis Ol. LXXXIX, 2 propriam Proagonem fabulam scenae commisit. cf. arg. Vesp.

Callistratum hasce fabulas docuisse constat: Babylonios, Acharnenses, Aves, Lysistratam; Philonidis nomine Vespae et Ranae inscriptae sunt. Utri Daetalenses Ol. LXXXVIII, 1 poeta docendam dederit ambigitur. Equidem cum iis facio, qui Callistrato tribuunt hoc nisi testimonio: Anon. *π. κωμ.* p. XV, 50 (Duebn.) *ἐδίδαξε δὲ πρῶτος ἐπὶ ἄρχοντος Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου*

quod videlicet ex vetere commentario didascalias exhibente haustum est. quae vero insequuntur *τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτῳ φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰ δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ* vereor ne potius legem a grammaticis fictam quam a poeta exercitam contineant; cui simillimum commentum exstat in Aristophanis Vita extr.

Callistrato et Philonidi poetis necessitudine sibi coniunctis cum Aristophanes primum fabulas dedisset, ut chorum ab archonte peterent impetratumque docerent, ne postea quidem laude iam ornatus hoc more destitit, ut totum se Musae comicae dare posset, neve molesto chori docendi negotio tempus tereret. Qua ratione non adeo gloria se orbavit, ut omnino nomen lateret, cum Callistratus et Philonides ab omnibus celebrarentur, genuini enim poetae nomen iam paullo post fabulam actam et fortasse iam antea in vulgus manasse ex parabasibus consequitur, at nonnullis commodis ei carendum erat; nam praeter quam quod in theatro non poeta sed is quem archon in album rettulerat a praecone victor praedicabatur eiusque nomen simul cum tribu victrici monumentis didascalicis quae dicuntur inscribebatur, etiam praemium victoribus propositum auctori supposititio solvebatur.

Levia haec fortasse commoda et contempta neque solum ab Aristophane sed etiam a Sophocle, Eupoli, aliis neglecta, quamquam in poetis comicis erant, qui hac de re aliter iudicarent aemulumque ludibrio haberent, quasi Herculis modo aliorum in commodum labores susciperet. Exstant haec apud schol. Clark. Platonis Apol. p. 19 c et in Aristophanis Vita.

Et Platonis quidem commentator totus in Aristophanis cum poetis comicis simultate versatur. *Ἀριστώνυμος δ' ἐν Ἡλίῳ ῥιγοῦντι καὶ Σαννυρίων ἐν Γέλωτι τετράδι φασὶν αὐτὸν γενέσθαι, διότι τὸν βίον κατέτριψεν ἑτέροις πονῶν· οἱ γὰρ τετράδι γεννώμενοι πονοῦντες ἄλλοις καρποῦσθαι παρέχουσιν, ὡς καὶ Φιλόχορος ἐν τῇ πρώτῃ περὶ ἡμερῶν ἱστορεῖ* ..... cf. Vita Arist. p. XXVII l. 11: *τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα. διὸ καὶ ἔσκωπτον αὐτὸν Ἀριστώνυμός τε καὶ Ἀμειψίας τετράδι λέγοντες γενέσθαι κατὰ τὴν παροιμίαν, ἄλλοις πονοῦντα* ...

locum ab his pusilli animi poetis ad nauseam repetitum a **Platone** comico profectum esse suspicor, cuius simillima dicteria ex Pisandro grammatici afferunt cf. Kock. p. 628. Zenobius Milleri (Mélanges 366 *τετράδι γέγονας, ταύτης μέμνηται Πλά-*

των ὁ κωμικὸς ἐν Πεισάνδρῳ. λέγεται διὰ Ἡρακλέα . . . quae viri docti probabili ratione ad Aristophanis simultatem rettulerunt. Eodem ni fallor spectant quae Suidas s. v, Ἀρκάδας μιμούμενοι ex eadem fabula exhibet: παροιμία ἐπὶ τῶν ἑτέροις πονούντων . . . ταύτῃ τῇ παροιμίᾳ κέχρηται Πλάτων ἐν Πεισάνδρῳ. διὰ γὰρ τὸ τὰς κωμῳδίας αὐτὸς ποιῶν ἄλλοις παρέχειν διὰ πενίαν Ἀρκάδας μιμεῖσθαι ἔφη. cf. Apostol. 3, 73 ap. Kock. p. 628. Verba ut tradita sunt necesse est Platonem ipsum de se pronuntiasse cf. verborum structuram φησὶ διὰ τὸ αὐτὸς ποιῶν-μιμεῖσθαι; at huic sententiae repugnat illud διὰ πενίαν, neque enim consentaneum est Platonem suam paupertatem derisisse; de loco lubrico viri docti adhuc alii aliter iudicaverunt; Et Meinekius H. C. p. 162 priorem errorem explodens, quo de Aristophane Platonem locutum esse iudicaverat, comici verba in hanc sententiam interpretatur ,de semet ipso loquitur Plato, qui ut Aristophanes Philonidi et Callistrato, Amipsias Phrynicho, alii itidem aliis, ita ipse quoque fabulas quasdam suas aliis docendas tradiderat: quae cum egregie placuissent et primum, si forte, praemium meruissent, postea in parabasi Pisandri verum causae statum exposuerat. Sic vos non vobis, inquit, vellera fertis oves'. Redarguit haec ingeniose, ut assolet, Cobetus Obs. crit. in Platon. com. rel. p. 104 seq. statuitque Platonis istam cavillationem ad Aristophanem trahendam esse ,scilicet haud secus quam Amipsias, Aristonymus et Sannurion iniquissime ferens sua semper prae Aristophanis carminibus populo sordescere, arripuit, quod isti poetae inertiae notam inurere posse videretur'[1]).

Neque equidem facere possum, quin huic sententiae accedam; etenim proverbium τετράδι γέγονας ab omnibus Aristophanis aemulis in eandem rem detortum esse apparet. cui cum simillimum sit alterum illud proverbium Ἀρκάδας μιμούμενοι item in Pisandro pronuntiatum a Platone utrumque stimulum in Aristophanem aemulum immissum esse consentaneum est. quod non palam adversario nominato eum fecisse suspicor, sed tecto et ambiguo joco ex more significasse, ut Athenienses quidem qui tum erant rem plane perspicerent, sequioris vero aevi grammatici in

---

[1]) Quae Rankius in Vita Aristophanis p. 211 de hoc loco mire commentus est, scribendum esse apud Suidam ἐπὶ Πεισάνδρῳ ut Pisander sui commodi causa in usum aliorum comoedias condidisse dicatur, hoc inferiore dissertationis loco commemorasse sufficiat.

enodanda ambiguitate mirum quantum errarent et ad Platonem ipsum referrent, quod ille in aemulum quondam luserat.[1]) Hac mea ratione probata illud *διὰ πενίαν* non delendum videtur aut sententiarum structuram mutare licet in *διὰ τὸ τὰς κωμῳδίας αὐτὸν ποιοῦντα ἄλλοις παρέχειν*, sed merus grammaticorum error statuendus est.

Platonis Pisandrum aemuli cavillationibus refertam extrema Ol. LXXXVIII actam esse Cobetus Obs. crit. p. 133 si non firmissimis tamen probabilibus argumentis coniecit.

In Aristophanis quae sequuntur fabulis Equitibus, Nubibus I, Vespis, Pace atrocius quicquam in Platonem aemulum dictum investigare non contigit. Nam Vesparum vs. 60 *οὐδ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος* ad Platonis Iovem male tractatum respicere non posse, id quod Cobetus l. l. p. 96 proposuerat, Wilamowitz. obs. crit. p. 5 ingeniose evicit.

Pacis vero versus 700 seq. longe aliam interpretationem requirere quam arteficiosam illam a Cobeto inventam supra docuimus. At in Nubium II parabasi manifesta simultatis vestigia exstant:

vs. 551 sq. *οὗτοι δ', ὡς ἅπαξ παρέδωκεν λαβὴν Ὑπέρβολος,*
τοῦτον δείλαιον κολετρῶσ' ἀεὶ καὶ τὴν μητέρα.
Εὔπολις μὲν τὸν Μαρικᾶν πρώτιστος παρείλκυσεν
ἐκστρέψας τοὺς ἡμετέρους Ἱππέας κακὸς κακῶς,
555 *προσθεὶς αὐτῷ γραῦν μεθύσην τοῦ κόρδακος οὕνεχ', ἣν*
Φρύνιχος πάλαι πεποίηχ', ἣν τὸ κῆτος ἤσθιεν.
εἶθ' Ἕρμιππος αὖθις ἐποίησεν εἰς Ὑπέρβολον,
ἄλλοι τ' ἤδη πάντες ἐρείδουσιν εἰς Ὑπέρβολον
τὰς εἰκοὺς τῶν ἐγχέλεων τὰς ἐμὰς μιμούμενοι,

quem locum quatenus ad Eupolin spectat jam supra interpretatus sum.

vs. 556 sq. his scholiis illustrantur: *κωμῳδεῖται ποιητὴς ὁ Φρύνιχος, ὃς εἰσήγαγε γραῦν ἐσθιομένην ὑπὸ κήτους κατὰ μίμησιν Ἀνδρομέδας διὰ γέλωτα τῶν θεωμένων. ἴσως δὲ νῦν ἐν ὑπερβολῇ αὐτὴν τὸ κῆτος ἤσθιεν.*

---

[1]) Simillimo errore biographus Aristophanis XI (Duebnp. XXVIII) poetae verba nescio de quibus dicta:

τὴν γυναῖκα δὲ
αἰσχύνομαι τώτ' οὐ φρονοῦντε παιδίω

ad ipsius auctoris uxorem et filios rettulisse mihi videtur.

ad 557. *Ἕρμιππος μὲν δρᾶμα οὐκ ἐποίησεν εἰς Ὑπέρβολον. ἔοικε δὲ τὰ εἰς τὰς Ἀρτοπώλιδας λεχθέντα καὶ αὐτοῦ σημαίνειν.*

ad 558. *καὶ γάρ Πλάτων ὅλον δρᾶμα ἔγραψεν εἰς Ὑπέρβολον.*

In extremis versibus Plato, etiamsi non aperte ut ceteri nominatur, tamen dilucidis lineis significatur; neque dubium est, quin Athenienses, si unquam hanc parabasin audivissent, hunc Aristophanis aemulum subintellecturi fuerint, cujus Hyperbolum fabulam et similitudinem ex anguillis sumptam etiamtum in memoria tenebant. Ex tali furti criminatione, ni fallor, vetus illa fama originem duxit, qua comici multas dictiones et sententias inter se surripuisse perhibebantur cf. Clement. Alexandr. Strom 6 p. 752 *Πλάτων τε ὁ κωμικὸς καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Δαιδάλῳ τὰ ἀλλήλων ὑφαιροῦνται.*

Quod cum Bergkius in Comm. in Rell p. 420 arripuisset, uf foedas suspiciones in Platonem cumularet, neque id Meinekius improbasset, Cobetus p. 63 haud spernendus Platonis defensor exstitit poetamque ingeniosum inhonesto crimine absolvit omnem culpam in fallacem Aristobulum Judaeum transferens. Facio equidem cum Cobeto; ridicula enim est illa plagiorum investigatio, quae in unaquaque sententiarum similitudine offendat et atrocia crimina fingat. Veteris comoediae principes certe non adeo inopia et sterilitate ingenii premebantur, ut exiles quasdam sententias inter se eriperent, sed ubicunque loci similes occurrunt statuendum est aut casu accidisse aut proverbium vel dictum quoddam quod omnium tum per ora ferebatur ab utroque comico eodem sensu referri aut denique alienos versus ad auctorem aemulum sugillandum repeti. Jocos vero et aemulorum cavillationes alterum ab altero recepisse et pro novis spectatoribus vendidisse — id quod vel hodie diurnis quae risui hominum inserviunt accidit — haud ita praefracte negaverim. Movet me imprimis Pacis statuae derisio ab Eupoli inventa a Platone recocta cf. schol. Platon 331 Bekk (Kock. p. 632) *κωμῳδεῖται δὲ (Ἀριστοφάνης) ὅτι καὶ τὸ τῆς Εἰρήνης κολοσσικὸν ἐξῆρεν ἄγαλμα. Εὔπολις Αὐτολύκῳ, Πλάτων Νίκαις.* Eupolidis Autolycum Ol. LXXXIX, 4 actam et Platonis Victorias haud longo temporis spatio dirimendas esse Cobetus Obs. crit. p. 87 rectissime sensit; explodendum igitur est, quod Meinekius de argumento et aetate Platonis fabulae conjecit H. Cr. p. 175 'Spectabant fortasse ad aureos illos stateras archonte Antigone Ol. XCIII, 2 e Victoriolis cusos, quos ob ad-

mixtam aeris partem ridet etiam Aristophanes.‘ Haec nummorum depravatio temporum angustiis expressa quomodo integrae fabulae argumentum praebere potuerit non video; at si ponamus fabulae chorum ex Victoriis deabus constitisse, nihil est, quod amplius desideretur. Pulcherrime a Platone erat inventum, quod bello haud pridem confecto Atheniensium victorias ita celebravit, ut vel viginti quattuor Victorias auro ornatas nitidis alis instructas in scenam produceret et carminibus epiniciis spectatores delectaret, qualem dearum chorum ab illius aetatis quodam artifice in Victoriae templi pariete sculptum videmus. Hoc de Platonis Victoriarum argumento si recte conjeci, comico facile occasionem fuisse apparet lepidas suas deas cum molesta et ingenti Pacis dea ab aemulo inventa comparandi.

Platonis et Aristophanis simultatis praeter haec vestigia exstant nulla; nam quod viri docti ex Platonis Paedario huc rettulerunt, Schol. Ar. Pac. 733 cf. Kock. p. 626

εἰ μὲν μὴ λίαν . . . ὦνδρες ἠναγκαζόμην
στρέψαι δεῦρ', οὐκ ἂν παρέβην εἰς λέξιν τοιάνδ' ἐπῶν

(cf. Mein. II., p. 647. Bergk II., p. 1015. Cobet. p. 110) lacuna post *λίαν* verbis *ὑπὸ τοῦδε*, sc. ab Aristophane, expleta incertissima ratione usi sunt. nempe Plato non minus apte cum nescio quo inimico aut cum spectatoribus expostulare potuit, id quod Fritzschius voluit, quam cum aemulo poeta neque adeo utriusque aemuli simultates efferbuisse putaverim, ut Plato coactum se esse in parabasi contra aemuli convicia se defendere festive pronuntiaret, sed non nisi tectos stimulos inter se et immisisse et recepisse persuasum habeo.

In Cratini, Eupolidis, Platonis cum Aristophane simultatibus percensendis etiam ceterorum comicorum res cum principe comoediae actas hic illic tetigimus, neque praeterea sunt multa, quae ex fontibus exilibus hauriri possint.

De **Phrynicho** Eunomidae filio varia veterum judicia exstant. Ab Anonymo *π. κωμ.* cum *ἀξιολογωτάτοις* poetis addatur, Suidas nescio cuius grammatici iniquum judicium refert v. *Λύκις. λέγεται καὶ Λύκος. οὗτος κωμῳδεῖται ὡς ψυχρὸς ποιητής. Ἀριστοφάνης.*

Τί δῆτ' ἔδει με ταῦτα τὰ σκεύη φέρειν,
εἴπερ ποιήσω μηδὲν ὧνπερ Φρύνιχος
εἴωθε ποιεῖν καὶ Λύκις κἀμειψίας
σκευοφοροῦσ' ἑκάστοτ' ἐν κωμῳδίᾳ.

Οὗτοι οὖν οἱ τρεῖς κωμικοὶ ὑπόψυχροι· ὁ δὲ Φρύνιχος παρ' ἕκαστα ἐφορτικεύετο. κωμῳδεῖται δὲ καὶ ὡς ξένος ἐπὶ φαυλότητι ποιημάτων καὶ ὡς ἀλλότρια λέγων καὶ ὡς κακόμετρα. ἐγένοντο δὲ καὶ ἄλλοι τρεῖς Φρύνιχοι. Quo magis in aperto sit, unde hoc bonum scholion ortum sit, adpono scholia ad Aristophanis versus a Suida allatos Ran. 12 sq.

ad 13. *Φρύνιχος: Δίδυμός φησιν ὅτι νῦν Φρυνίχου τοῦ κωμικοῦ μέμνηται, ὡς παρ' ἕκαστα ἐν ταῖς κωμῳδίαις φορτικευομένου. ἔστι δὲ πατρὸς Εὐνομίδου. κωμῳδεῖται δὲ καὶ ὡς ξένος καὶ ἐπὶ φαυλότητι ποιημάτων καὶ ὡς ἀλλότρια λέγων καὶ ὡς κακόμετρα. εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλοι τρεῖς Φρύνιχοι. Φρύνιχος δὲ ὁ κωμικὸς οὐδὲν τούτων ἐποίησεν ἐν τοῖς σῳζομένοις αὐτοῦ· εἰκὸς δὲ ἐν τοῖς ἀπολωλόσιν εἶναι αὐτοῦ τοιοῦτόν τι.*

Cf. schol. ad Av. 750 *Φρύνιχος ὁ κωμικός, οὗ μέμνηται Ἕρμιππος ἐν Φορμοφόροις ὡς ἀλλότρια ὑποβαλλομένου ποιήματα κτλ.* Non ab Aristophane solo igitur Phrynichus atrocibus criminibus vexabatur. Quae num iusta essent, cum Didymus grammaticus quaereret, nihil in fabulis servatis investigavit; At ne in deperditis quidem reperturum fuisse suspicor, quae aemuli ei crimini dederant; immo mera invidia illae nequitiae confictae sunt. Omnium aemulorum Aristophanes in conviciando fortasse lenissimus erat, si quidem inde a Nubium II aetate usque ad Ranas nihil in Phrynichum comicum atrocius ab eo dictum invenitur, quamvis grammatici per miram Phrynichorum aequalium confusionem nonnullos locos huc referant. De cognominibus tragico comico saltatore duce et de interpretum veterum erroribus egregie disputavit Meinekius H. C. p. 147 recteque intellexit Ran. vs. 689 *κεἴ τις ἥμαρτε σφαλείς τι Φρυνίχου παλαίσμασι* ad ducem pertinere. In Vesp. 1302 Vir doctus Symmacho assentitur:

Καίτοι παρῆν Ἵππυλλος, Ἀντιφῶν, Λύκων,
Λυσίστρατος, Θούφραστος, οἱ περὶ Φρύνιχον.

Schol. *τῶν κολάκων ἂν εἴη Φρύνιχος ὁ ποιητής. ὁ δὲ Σύμμαχός φησιν· εὐλογώτατον ἂν εἴη τὸν τραγικὸν ὑποκριτὴν Φρύνιχον.* Sed Symmachus et Meinekius Phrynichum nobilem postea praetorem maluissent, credo, si amicos Antiphontem, Lysistratum, ceteros respexissent, quos omnes unius societatis ad rem publicam evertendam tum sodales fuisse Droysenus in versione Aristophanis I p. 248 ingeniose coniecit.

A Phrynicho deferimur ad **Amipsiam** poetam ab aequalibus non indignum iudicatum, cujus Connus fabula Ol. LXXXIX. 1 Aristophanis comoediae ‚sapientissimae' et Comissatores Ol. XCI. 2 Avibus re vera pulcherrimae praeferrentur (cf. Petersen. in Ann. Fleckeis. 1862 p. 111). Sed postera aetas Amipsiae poesin adeo sprevit, ut non nisi misellae fabularum laciniae ad nos pervenerint et ne eae quidem suspicione liberae. Aristophani vel ideo odiosissimus erat aemulus, quod saepius palmam speratam ei eripuerat; de dicterio *τετράδι* etc. vide quae supra disputavimus.

Tertius poeta in Ran. vs. 14 ab Aristophane nominatus et exagitatus est **Lycis**, cuius nomen ioco sane vili in *Λύκος* ab aemulo detortum esse schol. testatur. In Lycidis nomine alias nusquam ut poetae memorato equidem non offendo et vehementer improbo Fritzschii coniecturam *κἀπίλυκος*: gratias sane agat ille Lycis poeta Aristophani aemulo in inferis propter hanc cavillationem, quae sola immortalitatis sibi causa fuerit quam suo ingenio non consecutus esset.

Ex cetera turba comicorum qui quasi catellus lunam in fabula, ita principem comoediae in scena allatrabant et mordacibus jocis exagitabant, unum **Sannurionem** protrahere liceat, poetam ne eum quidem ingeniosum sed propter varios aemulorum risus memorabilem.

Nimia huius gracilitas et macilentia largam aequalibus ridendi materiam praebebat cf. Polluc. X, 189 *ὅθεν καὶ Στράττις ἐν τῷ Κινησίᾳ τὸν Σαννυρίωνα διὰ τὴν ἰσχνότητα κάναβον καλεῖ.* Una cum Cinesia propter eandem rem etiam ab Aristophane in Gerytade perstringebatur. Ipsi versus ab Athenaeo XII p. 551 a servati cum iocum adhuc non recte intellectum contineant, digni sunt, qui diligentius examinentur. Sermo est de legatis ad inferos mittendis

vs. 8 *καὶ τίνες ἂν εἶεν; Β. πρῶτα μὲν Σαννυρίων*
ἀπὸ τῶν τρυγῳδῶν, ἀπὸ δὲ τῶν τραγικῶν χορῶν
10 *Μέλητος, ἀπὸ δὲ τῶν κυκλίων Κινησίας.*
εἶθ' ἑξῆς φησίν pergit Athenaeus:
11 *Α ὡς σφόδρ' ἐπὶ λεπτῶν ἐλπίδων ὠχεῖσθ' ἄρα*
12 *τούτους γὰρ ἢν πολλῷ ξυνέλθῃ ξυλλαβὼν*
ὁ τῆς διαρροίας ποταμὸς οἰχήσεται

(Kock. p. 428). ad vs. 12 Kockius recte adnotat: 'Nulla emendatio sufficit adhuc nota'. sed ipse Vir doctus si proposuit *τούτους γάρ*.

ἢν πολλοὶ ξυνέλθωσιν, λαβὼν .. ne hilum quidem profecit; neque enim de multis A. et B. colloquuntur sed de paucis poetarum legatis. Nemo adhuc sensit, opinor, quam spurca nequitia in extremis versibus insit et quam arcte diarrhoeae fluvius cum Cinesia (vs. 10) cohaereat. Ranarum in vs. 366:

ἢ κατατιλᾷ τῶν Ἑκαταίων κυκλίοισι χοροῖσιν ὑπᾴδων

idem Cinesias poeta propter obscaenum morem vel potius morbum perstringitur, quod scholiasta recte intellexit τοῦτο δὲ εἰς Κινησίαν τὸν διθυραμβοποιόν·

et gl. Vict. ἤτοι κατὰ τῶν ἀγαλμάτων τῆς Ἑκάτης κόπρον ἐκκρίνει διάρρυτον, τουτέστι ὑγράν. Iam apparet ni fallor 'diarrhoeae fluvium' non ad similitudinem Cocyti et aliorum apud inferos fluminum fingi, id quod Kockius voluit, sed ipsum esse fluvium obscaenum ex Cinesiae ventro profluentem.

Accipiamus igitur locum ita, ut B. in legatis ad inferos mittendis etiam Cinesiam nominet et nescio quam spem in isto posuerit. At mirum quantum, respondet A, spes vos fefellit, illis si hicce una proficiscatur, omnes molestus ille diarrhoeae fluvius quo semper laborat in perniciem abripiet.

τούτους γὰρ ἢν ὁδί (sic scribendum iubeo pro corrupto πολλῷ) ξυνέλθῃ ξυλλαβὼν
ὁ τῆς διαρροίας ποταμὸς οἰχήσεται.

Quacum sententia quamvis obscaena tamen Aristophane non indigna conferas quae poeta honestiore sensu quondam de Cratino aemulo dixerat in Equit. 526:

ὃς πολλῷ ῥεύσας ποτ' ἐπαίνῳ
διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἔρρει καὶ τῆς στάσεως παρασύρων
ἐφόρει τὰς δρῦς καὶ τὰς πλατάνους καὶ τοὺς ἐχθροὺς προθελύμνους

quos versus honeste accipiendos scholiasta ἢ τὸ ῥεύσας εἶπε σκώπτων πρὸς τὸ ἐνουρεῖν τὸν Κρατῖνον miro errore ea nequitia interpretatus est quae ad Gerytadis locum adhiberi debebat.

Iam ad calcem pervenimus dissertationis qua veteris comoediae historiae partem haud spernandam amplexi sumus eam imprimis rationem secuti, ut ad Aristophanis vitam cognoscendam et ad poesin intellegendam aliquid efficeremus. qua in re id summam difficultatem praebebat, quod non ex testimoniis sine ira

et studio positis hauriendum erat, sed ex criminationibus mera simultate et invidia confictis. Itaque quod Wilamowitzius quondam pronuntiavit 'Quisquis ad Graecorum veterem comoediam augendam et illustrandam adeat, eum aliquo modo Sisyphi volvere saxum', vereor ne ego quoque hic illic expertus sim, quamvis in universum poetam anguilla leviorem recte me arripuisse persuasum habeam. In eo enim maxime differunt tragicorum dictio et sermo comicorum, quod in illis adeo nihil inest ambigui, ut poetis vim afferre videantur, qui multis locis duplicem sensum investigent; comicos vero qui ita interpretantur, ut semper aliquid ambigue latere suspicentur quique iocos versutia expressos callide omnes in partes volvant versentque, ii vim comicam penitus perspexisse mihi videntur.

Typis W. Pormetter, Berolini.